





# OFFICIA PROPRIA PATRONORUM REGNI POLONIAE

OLIM EDITA,  
ET JUXTA RITUM  
Breviarii Monastici pro Omnibus sub Regula S. P.  
BENEDICTI Militantibus

ACCOMODATA.  
NUNC DENUO OB DEFECTUM  
PER RR. PP. CAMALDULENSES  
Eremi Insulæ Vigrensis.

A U C T A  
E T  
REIMPRESSA.



V.E. Mont. Argentini.  
VARSAVIE MDCCCLXXX.

Typis Sacræ Regiæ Majestatis & Reipublicæ  
Scholarum Piarum.

---

Inum Exemplar datur Nostratibus pro Missis tribus, Extraneis  
pro quinque, ad Intentionem Benefactoris pro parentibus Suf-  
fragio absolvendis

АПДЯОИЕ МОИИЕ  
М П Я СИ ОЯ ТА Т

**БАДДОДО ГИВ**

А Т И С Я М Н О  
М О Т Т А С А Т У Ч И Т А

Я 2

А Т А Д О И О Д Э А  
М и т с а д я в о о б р а с с и  
д и с и д с л а м а с с я я я с

в и д и в У

А С С А С А

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

А З З Е Д П М И С Я

РА

11. S

12. S

15. E

1. S

6. S.

9. SS

15. T

17. S

D

23. S

Eode

# CALENDARIUM

## PATRONORUM REGNI POLONIAE

### CUM ADDITAMENTO ALIORUM SANCTORUM.

---

#### FEBRUARIUS.

11. Sanctæ Dorotheæ Virginis &  
Martyris. duplex. fol. 5.  
12. S. Apolloniæ Virginis & Mart:  
duplex. - - - 6.  
15. BB. Septem Fundatorum Or-  
dinis Servorum B. V. M. du-  
plex. fol. - - - 7.

#### MARTIUS.

1. Sancti Albini Conf: & Pontif:  
dx. in Diœcesi Gnesnensi.  
fol. - - - - 9.  
6. S. Helenæ Imperat: Vid. dx. 10.  
9. SS. Cyrilli & Methodii Conf:  
& Pontif: semiduplex. in Diœc:  
Gnesn: fol. - - - 11.  
15. Translatio S. Venceslai Mart:  
dx. fol: - - - 13.  
17. S. Gertrudis Virg. semidx. in  
Diœc. Gnesnensi fol. 14.

#### APRILIS.

- Dominica II. post Pascha. Fe-  
stum Ssmi Sepulchri D. N. J.  
Christi. dx. fol. - - 16.  
23. S. Adalberti Ep. Mart. dx. 1.  
Clas. Hymni proprii fol. 24.  
Eodem die in Lithuania S. Geor-  
gii Mart. dx. 1. Clas: fol. 29.

27. S. Fidelis à Sigmaringa Mart.  
dx. fol. - - - 31.  
Eodem die in Lith: S. Adalberti  
Ep. M. dx. 1. Clas. fol. 33.  
28. In Lith. S. Fidelis dx. fol: 33.

#### MAJUS.

2. Sancti Sigismundi Regis Mart.  
commem. cum lectione. 33.  
4. S. Floriani M. dx. maj. fol. 34.  
8. S. Stanislai Ep: Mart. dx. 1.  
Clas. fol. - - - 37.

#### JUNIUS.

- Feria VI. post Octavam Corpo-  
ris Christi Festum Ssmi Cor-  
dis D. N. J. Christi. dx.  
majus fol. - - - 41.  
27. S. Ladislai Reg. Hung. Conf:  
dx. maj. in Diœc. Viln. in Sa-  
mogitia vero dx. min. fol. 49.

#### JULIUS.

3. Sancti Theobaldi Conf. O. N.  
dx. fol. - - - 51.  
4. S. Josephi Calasantii Conf. dx.  
fol. - - - 53.  
Dominica prox. post Oct. SS. Ap.  
Petri & Pauli B. Joannis de  
Dukla Conf. dx. 1. Clas. 55.  
13.

13. S. Margarithæ V. M. dx. 58.  
 14. Divisionis Apostolor: dx. maj.  
 fol. - - - - - 59.  
 16. SS. Andreæ & Benedicti MM.  
 dx. 2. Classis. fol. 62.  
 18. B. Simonis de Lipnica Conf.  
 dx. fol. - - - - - 63.  
 Dominica proxima post 24. vel hac  
 ipsa die, cùm occurrit. B. Cu-  
 negundis V. dx. 1. Clas. 65.  
 30. B. Ceslai C. dx. fol. 66.

## AUGUSTUS.

2. B Eati Hieronymi Aëmiliani C.  
 dx. fol. - - - - - 68.  
 11. S. Camilli Conf. dx. 71.  
 Die 2. infra Oct. Assumpt. B. V.  
 MARIAE, Lectiones 1. Noct.  
 propriæ. fol. - - - - - 75.  
 16. S. Rochi Conf. dx. 75.  
 Dominica proxima post Oct. As-  
 sumptionis B. V. M. Translatio  
 S. Casimiri C. dx. in Lith:  
 2. Cl. fol. - - - - - 77.  
 26. S. Franciscæ Fremiot Vid. dx.  
 fol. - - - - - 78.  
 Dominica II. post Octav: Assumpt.  
 B. V. M. S. Joachim Genito-  
 ris ejusdem dx. 1. Cl. 80.

## SEPTEMBER.

18. S Ancti Josephi à Cupertino C.  
 dx. fol. - - - - - 84.  
 26. B. Josaphat Ep. M. dx. 89.  
 27. Translatio S. Stanislai E.M. dx.  
 fol. - - - - - 89.  
 28. S. Venceslai Reg. M. dx. 92.  
 Dominica proxima post Festum S.  
 Math. Ap. B. Ladislai de  
 Gielniow. C. dx. 1. Classis 92.

## OCTOBER.

1. S Anctæ Mariæ de Cervellione  
 Virg. dx. fol: 93.  
 10. Officium Grat: act. pro Victo-  
 ria ex Turcis obtenta dx. maj.  
 fol. - - - - - 95.  
 15. S. Hedvigis Vid. dx. maj. 101.  
 Dominica II. Octob. puta secundum  
 Mensem, B. Vincentii Kadu-  
 bek. E. C. dx. maj. fol. 102.  
 20. Translatio S. Adalberti Ep. M.  
 dx. Hymni propr. 104.  
 21. SS. Ursulæ & Sociarum MM.  
 dx. fol. - - - - - 104.  
 23. S. Joannis à Capistr: C. dx.  
 fol. - - - - - 106.  
 Dominica IV. S. Joannis Cantii C.  
 dx. 1. Cl. Hymni proprii cum  
 Orat. fol. - - - - - 108.

## NOVEMBER.

12. S Anctorum Benedicti, Joannis,  
 Mathæi, Jsaaci, atque Chri-  
 stini MM. dx. 2. Cl. 110.  
 19. S. Elisabeth Vid. dx. 114.  
 Dominica prox. post 13. vel ipsa  
 die. S. Stanislai Kostka C. dx.  
 1. Classis fol. - - - - - 115.

## DECEMBER.

4. S Anctæ Barbaræ V. Mart. dx.  
 fol. - - - - - 117.  
 9. S. Salomeæ V. dx. 118.  
 Commemorations SS. Regni Pa-  
 tronorum. fol. 120.  
 Formula benedicendi Coronas Bri-  
 gitt. fol. - - - - - 122.  
 Formula benedicendi Coronas Sal-  
 vatoris D. N. J. C. fol. 123.

OFFI-

# OFFICIA PROPRIA

## PATRONORUM REGNI POLONIÆ.

**DIEI XI. FEBRUARII**

*Sanctæ Dorotheæ Virginis  
& Martyris. Duplex.*

### ORATIO.

**J**ndulgentiam nobis, quæsumus  
Domine, B. Dorothea Virgo &  
Martyr imploret: quæ tibi grata  
semper extitit, & meritò castitatis,  
& tuæ professione virtutis. Per  
Dominum nostrum.

*In primo Nocturno Lectiones  
de Scriptura occurrente.*

*In secundo Nocturno.*

### LECTIO V.

**D**orothea Virgo, in Cæsarea  
Cappadociæ propter Christi  
Confessionem ab Apricio illius Pro-  
vinciae Praefecto comprehensa, Cri-  
stæ & Callistæ sororibus, quæ à  
fide defecerant, tradita est, ut eam  
à proposito removerent. Sed ipsa  
eas reduxit ad fidem, propter quam  
in cuppam missæ & incensæ sunt;  
Dorotheam verò jussit Praeses in ca-  
tasta levari, quæ dixit ad illum:  
nunquam in tota vita mea sic læ-

tata sum, sicut hodie; tum ad ejus  
latera lampades ardentes apponi,  
deinde faciem diutissimè cædi, tan-  
dem caput gladiò percuti imperat.  
¶ Propter veritatem.

### LECTIO VI.

**E**a porro, cùm deduceretur ad sup-  
plicum, dicente: gratias tibi  
amator animarum, qui me ad pa-  
radisum tuum vocasti; Theophilus  
quidam Præsidis advocatus irridens:  
Eja tu, inquit, Sponsa Christi,  
mitte mihi de paradyso Sponsi tui  
mala, aut rosas; & Dorothea re-  
spondit: planè ita faciam.  
¶ Dilexisti.

### LECTIO VII.

**C**um ante ictum breviter pre-  
cari permitta esset; pulchra  
specie puer ante eam apparuit, fe-  
rens in oratio tria mala, & tres ro-  
sas; cui illa ait: obsecro te, ut  
feras ea Theopilo. Et mox gladiò  
percussa perrexit ad Christum.  
¶ Afferentur Regi.

### LECTIO VIII.

**I**gitur Theophilus irridens promis-  
sionem Sanctæ Dorotheæ, cùm  
soda-

sodalibus narraret, ecce puer ante eum cum orario, in quo ferens tria mala magnifica, & tres rosas elegantissimas, dixit ei: En sicut pugnasti promisit Virgo Sacratissima Dorothea, transmisit hæc tibi de Paradiso Spensi sui. Tum Theophilus stupens, quod esset Februarius, & gelu cuncta rigerent, ea accepit, atque acclamavit: Vere D E U S Christus est; Sicque palam fidem Christi professus, gravissimum quoque pro ea martyrium strenue pertulit.

*R. Prudentes Virgines.*

*In tertio Nocturno Homilia in Evangelium. Simile est Regnum Cœlorum thesauro. Ut in Communi nec Virginis nec Martyris.*

## DIE XII. FEBRUARII.

*In Festo S. Apolloniae V. & Mart. Duplex.*

*Lectiones I. Noct. ex Fer. curr. extra Quadrag. In Quadrag. autem: Confitebor. In II. Noct. ex majori Breviario ima propri: cetera tres, juncta ultimâ de Communi non Virg. ultimô locô de Serm. S. Joan: Chri-  
sost: Ego maxime. In III. Noct. propri. ex Decr. S. R. C.*

*Lectio S. Evangelii Secun-  
dum Matthæum.*

## LECTIO IX.

*JN illo tempore: dixit JESUS Discipulis suis parabolam hanc: Si-  
miles est Regnum Cœlorum decem Virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam Spon-*

so & Sponsæ. Et reliqua: Homilia S. Augustini Episcopi.

*Serm. 23. de Verbis Domini.*

*D*isceptamus, Fratres, de quinque Virginibus prudentibus, & quinque fatuis. Voluerunt obviam ire Sponso, corde ire, expectare ejus adventum. Sed ille tardabat. Dum tardat ille, dormierunt omnes. Quid est Somnus iste? Ne forte tardante Sponso, quoniam abundat iniquitas, refrigescit charitas multorum. Siccine, intellecturi sumus istum somnum? non mihi placet: dico quare? quia sunt ibi prudentes. Et utique quando dixit Dominus: refrigescit charitas multorum, subjicit, & ait: Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Non ergo eis obrepdit frigus charitatis, non eis refriguit charitas; sed fervet usque in finem. Est aliud somnus, quem nemo evadit. Non recordamini Apostolum dicentem: de dormientibus autem nolo vos ignorare Fratres: id est de his, qui mortui sunt; fatua sit Virgo, prudens est Virgo, somnum mortis omnes patiuntur. Ad novissimam tubam surgent omnes.

## LECTIO X.

*P*rudentes autem illæ tulerunt Oleum secum in vasis suis: Stultæ verò illæ non tulerunt Oleum secum. Ibi Oleum, magnum Oleum. De domo D E I est hoc Oleum. Tu ergo tecum porta, intus porta, ubi videt D E U S, ibi porta testimonium conscientiae tuæ.

*Qui*

Qui a  
um al-  
cum.  
stra,  
de O  
securi-  
intima  
& illa  
ardeba  
homin

Pos  
tuis,  
as, i  
orum  
tunc  
homo  
qui C  
ficere  
um.  
novi  
mnia  
novi  
vos:  
ars m  
tia,  
endo  
runt  
tes.

Qui autem ambulat ad testimonium alienum, Oleum non portat secum. Intendat itaque charitas vestra, sapientium lampades ardebant de Oleo æterno, de conscientiæ securitate, de interiore gloria, de intima charitate. Ardebant autem & illarum fatarum. Quare tunc ardebant? Quia non deerant laudes hominum.

**LECTIO XI.**

**P**oste verò, quā surrexerunt, id est in resurrectione à mortuis, cæperunt aptare lampades suas, id est parare DEO operum suorum reddere rationem. Et quia tunc nemo est, qui laudet, omnis homo causæ suæ vacat; non erant qui Oleum venderent, cæperunt deficere lampades. Clausum est ostium. Et quid illis dictum est? Non novi vos. Non illas novit, qui omnia novit? Quid ergo est: non novi vos? Improbo vos, reprobo vos. In arte mea non vos agnosco; ars mea nescit vitia, & judicat via, nescit faciendo, judicat arguendo, sic ergo non novi vos. Jērunt, intraverunt quinque prudentes.

**LECTIO XII.**

**S**int in vobis quinque prudentes, ad istam prudentiam quinarii numeri pertinentes. Veniet enim hora, & quando nescimus, veniet. Sic clausit Evangelium: Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. Corde vigila, fide vigila, spe vigila, charitate vigila, operibus vigila; & quando corpore dormiveris,

A2

veniet tempus, ut surgas. Cum autem surrexeris, præpara lampades. Tunc non extinguantur, tunc in interiore conscientiæ Oleo vegetentur: tunc Sponsus ille incorporeis nexibus amplectatur, tunc te introducat in domum, ubi nunquam dormias, ubi nunquam possit tua lampas extingui. Hodie vero laboramus, & lampades nostræ inter ventos sæculi hujus tentationesque fluctuant: sed ardeat in rubore flamma nostra, ut ventus tentationis augeat ignem potius, quā extinguat.

**DIE XV. FEBRUARII.***In Festo septem BB. Fundat.**Ordinis Ser. B. V. M.**Duplex.***ORATIO.**

**D**omine JESU Christe, qui in jugem memoriam dolorum Sanctissimæ tuæ Genitricis per septem Beatos Patres nova Servorum ejus familia Ecclesiam tuam fæcundasti, concede nobis famulis tuis in hac lachrymarum valle degentibus, ita ejusdem mæstissimæ Matris Socios cum ipsis esse passionum in terris, ut perpetuæ consolationis consortes fieri mereamur in Cælis. Qui vivis & regnas &c.

*Lectiones I. Noct. de Script. in Quadrag. Justus si morte.*

*In II. Noct.***LECTIO V.**

**D**ecimo tertio Christiani nomini sæculo, inter alios Florentinos Patrios, septem erant avorum

San-

Sanguine , opibusque illustres , at virtutibus spectatis suis longè illustriores noncupati , ut Religioni nomen dedere ; Bonfilius Monaldius , Bonajuncta , Manetti Manettus , Antellensis , Amideus de Amideis , Uguecio Uguecionius , Sosteneus de Sosteneis , demum Alexius de Falconeriis , cùm hi trigesimo tertio supra millesimum annum auspicatissimo Assumptæ Virginis Festo , in Sodalitio quodam , cui titulus Laudantium erat , Augustissimæ DEI Genitrici , prouti par erat , laudes exsolverent , ab eadem dulcissimè iis apparente , inopinè moneri se sentiunt , ad sublimioris vitæ genus , posthabitò mundò amplectendum , absolutisque idcirco , quibus dabant operam laudibüs , confestim perciti in unum , collatisque mutuo consiliis , DEI vocantis , vocantisq; Deiparæ oraculis parere mox decreverunt : quod & sedulo factum est ab eisdem , nam consultò statim mature urbis Episcopo , fortunæ abdicatis bonis , erogatisque amplè in egenos , ciliciis carni obstrictis , vilioribus , detritisque vestibus cinerei coloris induiti , in ruralem parvam ædiculam secesserunt natalitio die , amantissimæ ipsorum Parentis , ut vitæ sanctioris primordia optimè inirent , qua die mortalibus orta sacratissimam vitam ipsa inchoaverat .

### LECTIO VI.

**S**ic septem beati Viri charitatis fœdere devincti , eadem in domo se unierant ; cum ecce per urbem visos statim Domino sic di-

sponente , moventequè infantiles voces Deipara ex infantium ore , ac lactantium , inter quos tum puer erat Sanctus Philippus Benitus vix quintum mensem ingressus , se Mariæ clamari servos insperato est auditum ; quanta tunc & ex inde amoris flamma in Dominam suam , cuius (ignaris ipsis) declarati servi erant , excitatis studiis exarserint , non facile est explicatu . Illud solum scitur , quod sic ei se dederunt , ut veluti Matrem suam venerari ; maximoque honore habere , morem ei gerere in omnibus , & obtemperare propter eam cunctis summopere studuerint . Hinc etiam adeo jucundi gratique ei fuere , ut cùm vitaturi plausum in Senarium montem ab ipsa iis præstensum habitaturi detenderint , ibique crucifixum JESUM , mæstissimamque Matrem dolentes assiduè recolerent . Apparuit illa eis , habituque lugubri assignato in memoriam Dolorum suorum : ut compaterentur istis , eos consecravit .

### LECTIO VII.

**J**Ta cinericis vestibus indulgenter etiam Episcopo in nigras mutatis , post nonnullos annos , fortunatis quidem auspiciis clarissimum illud Prædicatorum Ordinis decus Sanctus Petrus Martyr Florentiam accessit , & audita , inspectaque simul non fucata sanctimonia ipsorum , ita DEI Amici se cæperunt mutuo diligere , ut familiarissimè versarentur invicem secum , seseque alterne foverent . Inter cætera porro illud accidit , quod sperante in-

clyto

clyto Martyre honorem DEO non modicum , magnum terris commodum proditum iri , si propitja Virgine longe lateque propagarentur, una cum ipsis impensè eam exorante, ut argumento aliquò voluntatem suam patefaceret , invocata Virgo amans in visione ei revelavit, se Viros illos septem , & qui venturi erant post eos , inter mundi homines omnes ad singulare servitium suum selegisse , & comiserandis pénis jam latis suis amarissimis , construendum Ordinem esse ad sui honorem & gloriam.

Lect. III. Noct. Nolite timere.  
De Com. C. non Pont. 2, loc. Mis,  
verò Justus ut palma.

## DIE I. MARTII.

In Festo S. Albini Conf. & Pontif. Duplex. In Diæcesi Gnesensi.

## ORATIO.

Votiva , quæsumus Domine , nos Beati Albini Confessoris tui atque Pontificis natalitia restaurent, & ad omne bonum tua gratia faciant propensiones. Per Dominum nostrum.

## LECTIO VIII.

Hoc prodigioso Virgineo Decreto animati humillimi Patres, non quia suæ mentis fuisse successores posteros gignere , sed ut iussa reserata ficerent supremæ eorum Reginæ , quæ nomine suo duratram sibi familiam fundari voluerat , instituere deinceps Sacrum Servorum Ordinem decreverunt, non tam, ut primi ejus Fundatores , quam ut cœlestis suæ Fundatricis Ministri obsequentes ; quos proinde Dominus , ut servos bonos , & fideles suos , ac Matris , in vita multis virtutibus , in morte multis prodigiis , post transitum multis miraculis adornavit ; novissime vero Benedictus decimus tertius , ejus instituti Professor , cuius Sanctus Petrus erat, ejus quoque hæres amoris , Pontifex renuntiatus , eorum miram Institutionem , ut inclaresceret Orbi, Lectionibüs his recenseri peramanter consuluit ac mandavit.

## LECTIO V.

B<sup>e</sup>atus Albinus in Venetica Regione Galliæ , Oceano Britanico finitima natus est. Adolescens pietatis & religionis amore fervens , relictis Parentibus , in Cincinnacense Cænobium se contulit , vitamque ibi monasticam professus est. In Abbatis sui ministerio ruri maxima tempestate aliquando deprehensus , sub tectum cujusdam casæ confudit : quod cum undique perfueret , cæteris , qui aderant , madefactis omnibus , solum Albinum ne gutta quidem ulla pluviae attigit.

R. Jnveni David.

## LECTIO VI.

A<sup>b</sup>batis deinde officio egregie viginti quinque annis functus est , cuius virtutibus permotus Andegavi populus , dum Pastore interim

terim orbatus esset, unanimi eum  
consensu elegit Episcopum.

R. Posui adjutorium.

### LECTIO VII.

**Q**uem honorem consecutus totum  
se in alendis pauperibus, vi-  
sitandis ægris, inopibus defenden-  
dis, redimendisque captivis, de-  
dit. In quo pietatis occupatus stu-  
dio, apud Seginam vicum adole-  
scensem mortuum, Malabandum no-  
mine, revocavit ad vitam. Mau-  
rilio Civi cæco visum restituit, a-  
liaque multa stupenda operatus est.  
Ut merito apud Hildebertum Re-  
gem Ostrogothorum in maximo es-  
set pretio.

R. Iste est, qui ante.

### LECTIO VIII.

**A**nnis viginti vel pluribüs in E-  
piscopali cura exactis, deniq;  
cum implesset annorum octoginta  
ætatis numerum, viribüs corporis  
destitutus, spiritum DEO reddidit.  
Cujus sepulchrum postea, præsertim  
in translatione corporis, multis mi-  
raculîs DEUS illustravit; duobus  
cæcis visu reddito, tribus paraly-  
ticis sanitati restitutis. Vixit eo-  
dem tempore, quo Sanctus Cæsa-  
rius Arelatensis Episcopus, cum O-  
strogothi magnam Galliæ partem  
obtinerent.

R. Justum deduxit.

In III. Noct. Homilia in Evang.  
Homo quidam.

### DIE VI. MARTII.

In Festo S. Helenæ Impe-  
ratricis Vid. Duplex. Omnia de Com. nec Virginum,  
nec Martyrum, præter  
sequent.

### ORATIO.

**D**omine JESU Christe, qui lo-  
cum, ubi Crux tua latebat, Be-  
atae Helenæ revelasti: ut per eam  
Ecclesiam tuam hoc præioso the-  
sauro ditares; ejus nobis interces-  
sione concede, ut vitalis ligni pre-  
cio, æternæ vitæ præmia consequa-  
mur. Qui vivis & regnas cum  
DEO.

Lectiones I. Noct. de Script. occur.  
In Quadr. Mulierem fortem. De eo-  
dem Communi.  
In II. Nocturno Lectio: ex S. Am-  
bos in Oratione de obitu Theod.

### LECTIO V.

**V**enit ergo Helena, cœpit revi-  
sere Loca Sancta, infudit ei  
Spiritus, ut Lignum Crucis re-  
quireret, accessit ad Golgotham,  
& ait: Ecce locus pugnæ, ubi est  
victoria? quæro vexillum Salutis,  
& non invenio. Ego, inquit, in  
Regnis, & Crux Domini in pulve-  
re? Ego in aulis, & in ruinis Chri-  
sti triumphus? Ille adhuc latet, &  
latet palma vitæ æternæ. Quomo-  
do me redemptam arbitror, si re-  
emptio ipsa non cernitur? Video  
quid egeris diabole, ut gladius,  
quô peremptus es, obstrueretur. Sed

Jsaac

Jsaac  
teos  
passus  
ut vit  
us, q  
putatu  
lus fu  
ut abs  
terum  
R.

V  
u  
nution  
qui C  
tuus s  
die,  
prehe  
minur  
invest  
cuit,  
ut D  
ego a  
vinun  
Aperi  
verem  
rit,  
cusc  
oblite  
certo  
indag  
R.

Q  
De u  
de al  
ad de  
nem  
ut J  
R.

Isaac obstructos ab alienigenis putoes eruderavit, nec latere aquam passus est. Tollatur igitur ruina, ut vita appareat. Promatur gladius, quo veri Goliæ caput est amputatum. Aperiatur humus, ut salius fulgeat. Quid egisti diabole, ut absconderes Lignum, nisi ut iterum vincereris.

R. Propter veritatem.

### LECTIO VI.

Vicit te Maria, quæ genuit Triumphantem, quæ sine immunitatione Virginitatis edidit eum, qui Crucifixus vinceret te, & mortuus subjugaret. Vinceris & hodie, ut mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi Sancta Dominum gestavit, ego Crucem ejus investigabo. Illa generatum docuit, ego resuscitatum. Illa fecit, ut DEUS inter homines videretur, ego ad remedium peccatorum Divinum de ruinis elevabo vexillum. Aperit itaque humum, decutit pulverem, tria patibula confusa repperit, quæ ruina contexerat, inimicus absconderat. Sed non potuit oblitterari Christi triumphus. Incerto hæret, ut mulier, sed certam indaginem Sanctus Spiritus inspirat.

R. Dilexisti justitiam.

### LECTIO VII.

Quæsivit clavos, quibus Crucifixus est Dominus, & invenit. De uno clavo frænos fieri præcepit, de altero Diadema intexit: unum ad decorum, alterum ad devotionem vertit: Visitata est Helena, ut Imperatores redimerentur.

R. Fallax gratia.

### LECTIO VIII.

Misit itaque filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas prætiosior ferro innexas Crucis Redemptoris Divinæ gemma connecteret. Misit & frænum. Utroque usus est Constantinus, & fidem transmisit ad posteros Reges. Principium itaque creditum Imperatorum Sanctum est, quod superfrænum: Ex illo fides, ut persecutio cessaret, devotio succederet. Sapienter Helena egit, quæ Crucem in Capite Regum levavit, & locavit, ut Crux Christi in Regibus adoraretur. Non insolentia ista, sed pietas est, cum defertur Sacra Redemptioni. Bonus itaque Clavus Romani Imperii, qui totum regit Orbem, ac vestit Principum frontem, ut sint prædicatores, qui persecutores esse consueverunt.

R. Quam pulchra es.

In III. Noct: Homil: in Evangel: Simile est Regnum Cœlorum thesauro abscondito. De eodem Communi. In quadrag: XII. Lectio de Homilia Feriae, & in Laud: fit commem: ejusdem.

### DIE IX. MARTII.

In Festo SS. Cyrilli & Methodii Conf: & Pontif: semiduplex. In Diæcesi Gnesnensi.

### ORATIO.

Omnipotens sempiterne DEUS, qui nos per Beatos Pontifices & Confessores tuos, nostrosque Patronos

tronos Cyrilum & Methodium ad unitatem fidei Christianæ vocare dignatus es: præsta quæsumus, ut qui in præsenti eorum festivitate lætamur, in ipsorum etiam meritis gloriam consequi mereamur æternam. Per Dominum Nostrum.

### LECTIO V.

**S**ancti Confessores & Pontifices Cyrilus & Methodius Fratres Constantini Thessalonicensis, cognomento Philosophi, Civis Constantinopolitani, erant filii. Cum adolevissent, Presbyteratus Ordinem Constantinopoli consecuti, gentium Slavinarum primi Doctores, Virique Apostolici facti sunt. Cyrillos Gazaros magnam Slavinorum gentem, qui tum Tauricam Peninsulam vicinasque Regiones incolebant, à Michæle Imperatore missus ad Christi fidem convertit. Chersonesum Heracliam ejus Peninsulæ Civitatem Græcam cum accessisset, dumque ibi primum Gazarorum linguam disceret, Sancti Clementis Pontificis Romani Corpus, cum anchora eidem alligata in vicino mari, Temploque marmoreo invenit. Quod acceptum dum secum circumferret, magna miracula DEUS passim per illud operatus est.

¶. Inveni David.

### LECTIO VI.

**C**onstantinopolim cum rediisset Cyrus, denuò à Suatoplugo Rege Moraviæ ad Imperatorem venit legatio, petente Cyrilum sibi

mitti, ejusdem Religionis docendæ gratia. Assumpto igitur Fratre Methodio, longum iter ingressus, ad Volgaros Danubii accolas primi divertit; eis itidem fidem Christi, Sacrasque literas in eorum linguam conversas tradidit: eas videlicet, quibus non tantum omnes Volgarorum populi, sed multæ quoque aliæ utuntur Nationes, quæ lumen fidei à Volgaris mutuata sunt.

¶. Posui adjutorium.

### LECTIO VII.

**A**d Moravos deinde ambo non sine Corpore Sancti Clementis pervenient: Suatoplugum Regem, Velogradji Sedem habentem, cum sua Gente Baptizant: quin & Boémia Ducem Borzivoium, cum sua uxore Sancta Ludomila, eodem Sacro Iayacro tingunt. Archi-Episcope Velogradji Cyrus ordinatur; cui adduntur in amplio Suatoplugi Regno septem alii Suffraganei Episcopi.

¶. Iste est, qui ante DEUM.

### LECTIO VIII.

**F**undatis tandem Ecclesiis, & Christi opere perfecto, S. Clementis Corpus Romam deferunt, & a Nicolao primo Pontifice impletant, ut gentibus à se Baptizatis lingua vernacula obire Sacra licet. Quod Divinò responsò approbatum esse fertur, ut omnis Spiritus laudaret Dominum.

¶. Justum deduxit.

In III. Noct: Homilia in Evang. Vigilate, quia nescitis.

DIE

## DIE XV. MARTII.

*In Festo Translationis S. Venceslai Martyris Duplex. Cum commem. feriae. Omnia de Comm. unius Martyris, præter hæc, quæ assigantur.*

### ORATIO.

DEUS, qui Beati Venceslai nobilitatem in meliorem mutasti dignitatem, & eum per Martyrii palmam ad Cœlestem perduxisti gloriam, ejus precibus nos, quæsumus, ab omni adversitate libera, & æternæ beatitudinis concede perfaci gloria. Per Dominum. *Lectiones I. Nocturni. Fratres debitores sumus. De Comm. plurimorum Martyrum.*

*In secundo Nocturno.*

### LECTIO V.

VEnceslaus Dux & Martyr Bohemiarum, Patre Christiano Borzivoio Principe Bohemiarum, & Matre Dráhomira gentili natus, ad educandum avia fæminæ Sanctæ Ludmilæ à Patre traditus, ab ea sic in omni pietate & vitæ integritate institutus est: ut primam virginitatem eam, quam ex utero Matris suæ exportavit, perpetuò conservaret: cuius custodes alias amplissimas virtutes, charitatem, humilitatem, modestiam, verecundiam, & orandi perseverantiam adjunxerat. Cui eidem aviæ, tanti

viri alumnæ, Pater ejus moriens, omnem gubernationem Regni commisit, cum Venceslaus adolescens ad Reipublicæ regimen nondum maturus esset. Mater autem impiè & crudeliter cum juniore filio Boleslao viveret, ac infideles ambo, more infidelium dominarentur. Offensa ea re Drahomira furere cæpit, ac vitæ Ludmilæ insidiari. quam ad extremum, submissis duobus sicariis, magis scelere, quam genere nobilibus, per summum scelus interfecit; ipsa summa rerum potita est cum improbo filio, gravis suis, molesta omnibus, Christianis inimicissima.

*R. Honestum fecit.*

### LECTIO VI.

CUjus injustum ac potentem dominatum, dum amplius Bohemi perferre non possent, Pragæ Venceslaum jam adulterum juvenem in Regem eligunt, illique habenæ Imperii committunt. Quod ille plus jejuniō, orationibūs, ciliciō, ac aliis pīs operibūs rexit, quam Imperiō: illud planè occinens: septies in die laudem dixi tibi super iudicia justitiæ tuæ. Fuit hic in eo ardor orationis, quod summa hie me nonnunquam ex pedibus ejus sanguis effluxerit: ac ex vestigiis ipsius aliqui incaluerint.

*R. Desiderium animæ.*

### LECTIO VII.

AGgressus hunc, regnumque ejus erat Dux Curiensis Radislavus: cumque multa frustra tentasset,

ad

B

ad extremum, ipsum ad singulare certamen provocavit. Suscepit magnō animō conditionem magnus Princeps, vitā suā suorum salutem repräsentare volens: verūm DEUS ipse crudelis pugnæ diremptor fuit. Dum enim Vir Sanctus prælium ingressurus equum concendit, adversarius ejus animadvertisit illi ab Angelo hastam porrigi, se vero ea voce moneri: ne feri. Quare perterritus ex equo desiliit, ad pedes Sancti veniam petens procidit: quem ad parcendum, quām ad ulciscendum paratiorem invenit.

*R. Stola jucunditatis.*

### LECTIO VIII.

**J**Nvidit & genti, & Principi eam felicitatem generis humani hostis, impiam Matrem alteram Attaliam in furias vertit. Hæc filium suum, fratri Venceslai, male germanum, stimulat, ut de Regno cogitet, fratrem de medio tollat. Suscipit malum semen improbus ager, in cædem fratris totus effunditur, quem ad funestum convivium vocat. Non recusat justus Abel, nec inscius, nec invitus. Sacramentis se præmunit. Post fraternalm & hospitalem natalis filii mensam proxima nocte ante tenplum orans cæditur: fit DEO gratissima hostia. Nec diu tamen exultavit scelus in victoria; nam & Matrem non ita multum post in arce Pragensi, terra absorpsit vivam, & filius non diu gessit Principatum fratris sui sanguine comparatum. Alii per dæmones exagitati, umbram suam ti-

mentes, sese præcipites in flumen dederunt submersique sunt. Sanguis quidem justi Abel, qui hora passionis multus fuit effusus, ad DEUM sanctè clamans, multis & iteratis conatibus non potuit aboleri.

*R. Posuisti Domine.*

*In III. Noct. Homilia in Evangelium: Si quis vult post me venire. De Comm. unius Martyris.*

### DIE XVII. MARTII.

*In Festo S. Gertrudis Virginis semiduplex. In Diœcesi Gnesnensi.*

### ORATIO.

**J**Ndulgentiam tuam nobis, quæsumus Domine, Beata Gertrudis imploret, quæ tibi grata semper extitit, & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dominum nostrum.

**LECTIO V.**  
*Ex Joanne Malano & Laur. Surio.*

**S**ancta Gertrudis Virgo clarissimis Parentibus, Patre Pipino Magno Regis Franciæ Procuratore domus, Matre vero Jta, fæmina pudicissima, Sanctaque nata fuit. Modestiam, & humilitatis virtutem à prima ætate ita coluit, ut ancillis suis se ministram ancillamque præstaret. Rex Dagobertus cum eam Ducis Austrasiæ filio, qui tum in comi-

comita  
laret;  
hunc,  
sed so  
sum ha  
pulsam  
proposi  
cta Pa  
Franci  
ro, &  
ibique  
nomina  
onem,  
rum K  
veneru  
*R. I*

**L**  
**J**Nte  
lite  
rituali  
fecit,

fumen  
San-  
i hora  
us, ad  
multis  
tuit a-  
vange-  
venire.  
  
TII.  
Vir-  
diæcesi  
  
• , quæ-  
Gertru-  
ra sem-  
titatis,  
s. Per  
  
V.  
Laur:  
  
riSSimis  
no Ma-  
tore do-  
nina pu-  
it. Mo-  
tutem à  
ancillis  
ue præ-  
um eam  
tum in  
comi-

comitatu ejus erat, uxorem postularet; Virgo respondit: se neque hunc, neque mortalium quemquam, sed solum Christum DEUM, Sponsum habere velle. Juvenis ille repulsam passus, cum nihilominus à proposito non desisteret; Virgo Sancta Parentum auxilio in orientalem Franciam cum Atalango Presbitero, & Bernardo Diacono profugit; ibique in loco, qui Caroli mons nominatur, per Divinam revelationem, Corpora Sanctorum Martyrum Kiliani, & Sociorum ejus invenerunt.

R. Propter veritatem.

### LECTIO VI.

Pipino Patre, simul & juvente illo proco mortuis, Beata Gertrudis ad Matrem rediit: domum suam in Monasterium Sanctimonialium Amando Episcopo adjutore converterunt. Et ne Gertrudis à quibusdam procis amplius patetur insidias, Mater ipsa filiæ capillum abscidit. Quæ aliquanto post inter Virgines, suscepto velamine, consecrata est. Post obitum Matris cum ipsa Monasterii curam suscepisset, ut liberiùs Deo servire, sacrisque studiis vacare posset, eam exemplò Moysis divisit in plures.

R. Dilexisti justitiam.

### LECTIO VII.

Interim non solum in Sacrarum literarum scientia, sed in spiritualibus quoque virtutibus ita profecit, ut à sororibus lux aliquando

sphæræ igneæ super eam irradiare visa est. Nuntios quoque suos in mari periclitantes invocata, licet absens corpore, liberavit. Ad hæc Beati Martyris Foilani Corpus, indicio supernæ revelationis ipsa meruit invenire.

R. Adducentur Regi.

### LECTIO VIII.

Cum Divino Spiritu se morti proximam esse cognovisset, ut reliquum trium Mensium tempus in opera pietatis, & beatæ vitæ studium sanctiū expenderet, omnem Monasterii curam Wolfetrudi cognatae suæ tradidit, Sepulturam, quam habere vellet, omnī pompa vacuam ordinavit: Corpus tantum ciliō, quo uti consueverat: caput autem vili quodam velō, à Sacra quadam Virgine donatō, tegi voluit. Deinde à Sancto Ultano Monacho de die obitūs sui facta certior, anno ætatis suæ trigesimo tertio, sumptō Sacratissimi Corporis viaticō, animam Creatori DEO reddidit; Beato Patritio cum Sanctis Angelis illi, ut Vates Ultanus prædixerat, occurrente. Eadem enim dies, nempe Martii decima septima, Sancto Patritio Hibernorum Apostolo, jam pridem erat Sacra.

R. Prudentes Virgines.

In III. Nocturno Homilia in Evangelium. Simile erit Regnum Cœlorum decem Virginibus,

## DOMINICA II.

Post Pascha

FESTUM

SANCTISSIMI  
SEPULCHRI

Hierosolymitani, Regno Poloniæ concessum. Ad Ritum Monasticum redactum.

Duplex.

## AD VESPERAS.

Antiphona.

**E**xaltate Dominum DEUM Nostrum, & adorate scabellum pedum ejus, quoniam Sanctum est, Alleluia.

*Psalmus. Dixit Dominus. Cum reliquis de Dominica, ut in Psalmario.*

*Antiph. Introibimus in Tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. Alleluia.*  
*Ant. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco Sancto ejus? Alleluia.* *Ant. Ne appropies huc, solve calceamenta dedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra Sancta est. Alleluia.*

## Capitulum.

**C**um consumassent omnia, quæ de De ipso scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.

*Breve. O! quam metuendus est locus iste? \*Allel, Allel. O quam.*

¶. Vere non est hic aliud, nisi Domus DEI, & Porta Cœli. Alleluia, Allel. Gloria Patri. O quam.

## HYMNUS.

**S**Acri Sepulchri gloriam Christi triumphis inclytam, Dulci repleti gaudio Lætis canamus vocibus.

Hujus vetustis sæculis, Dedit cysterna symbolum, Quo missus olim, carcerem, Joseph habebat innocens.

Hoc, quem fidelis fortium Ambit caterva militum, A Rege docto conditus, Expressit olim lectulus.

Hoc & tuus Daniel lacus, Et quæ sopore languidum Jonam ratis portaverat, Hoc in figura nuntiat.

O! Petra gemmis carior! Thesaure cunctis ditior, Qualem nec aula Principum, Nec gaza claudit divitum.

Nam tu nec auri munera, Nec Principum fluxas opes; Sed illud immensum sacri Prerium tulisti Corporis.

At Christe ditas qui tuum Caro sepulchrum Sanguine, Tuos (rogamus) servulos, Donis tuis fac divites.

DEO Patri sit gloria, Et Filio, qui à mortuis Surrexit, ac Paraclito, In sempiterna Sæcula. Amen.

¶. Tuum Sepulchrum adoramus Domine. Alleluia.

¶. Et recolimus tuam gloriosam Resurrectionem. Alleluia.

Ad

*Ad Magnificat Antiphona.*

Deponentes Dominum de Cruce, posuerunt eum in Monumento, quod erat excisum in Petra, in quo nondum quisquam positus fuerat. Alleluia.

**O R A T I O.**

**D**omine JESU Christe, qui pro nobis mortem subire, & in Sepulchro depositus, tertia die resurgere voluisti, concede famulis tuis: ut qui Sepulchri tui memoria recolimus, resurrectionis quoque gloriae participes esse mereamur. Qui vivis & regnas.

*Et fit commemorationis Dominicæ.*

*Ad Matutinum, Invitat:*

Surrexit Dominus de Sepulchro.  
\* Alleluia. Psalmus. Venite exultemus. Hymnus. Sacri Sepulchri. ut in Vesp.

*In I. Noct. Antiphona.*

En lectulum Salomonis sexaginta fortis ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Alleluia.

*Psalmi, ut in Festo Dedicacionis Ecclesiae, sub hac una tantum Antiphona.*

*¶. Ipsi gentes depræcabuntur. Alleluia.*

*¶. Et erit Sepulchrum ejus gloriosum. Alleluia.*

**LECTIO I. Cap. 13.**

**V**iri fratres generis Abraham, & qui in vobis timent DEUM, vobis verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitabant Hierusalem, & Principes ejus hunc ignorantibus, & voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, judicantes impleverunt, & nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent eum. Cumque consummasset omnia, quæ de ipso scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in Monumento; DEUS verò suscitavit eum a mortuis tertia die, qui visus est per multos dies his, qui simul ascenderunt cum eo de Galilæa in Hierusalem, qui usque nunc sunt testes ejus ad plenam.

*¶. Deponentes Dominum de Cruce, posuerunt eum in Monumento, quod erat excisum de Petra. Alleluia. \* Signantes illud cum Custodibus. Alleluia.*

*¶. Abeuntes Judæi muniverunt Sepulchrum, advolventes lapidem ad ostium monumenti. Signantes illud.*

**LECTIO II.**

**E**t nos vobis annuntiamus eam, quæ ad Patres nostros reprobatio facta est; quoniam hanc DEUS adimplevit filiis nostris resuscitans JESUM, sicut & in Psalmo secundo scriptum est. Filius meus es tu, ego hodie genui te.

*Quod*

Quod autem suscitavit eum à mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit: Quia dabo vobis Sancta David fidelia; ideoque & aliás dicit: non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. David enim in sua generatione cùm administrasset voluntati DEI, dormivit; & appositus est ad Patres suos, & vidi corruptionem. Quem verò DEUS suscitavit amortuis, non vidi corruptionem.

¶. Sepulto Domino, signatum est Monumentum, volventes lapidem ad ostium Monumenti, Alleluia. \* Ponentes Milites, qui custodirent illud. Alleluia.

¶. Accedentes Principes Sacerdotum ad Pilatm petierunt illum. Ponentes.

### LECTIO III.

**N**otum sit igitur vobis Viri Fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, & ab omnibus, quibūs non potuistis in lege Moysi justificari, in hoc omnīs, qui credit, justificatur. Vide te ergo ne superveniat vobis, quod dictum est in Prophetis. Vide te contemptores, & admiramini, & disperdimini, quia opus ego operor in diebus vestris. Opus, quod non credetis, si quis enarraverit vobis.

¶. Acceperunt Corpus JESU, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, & sepelierunt in monumento novo. \* In quo nondum quisquam positus fuerat. Alleluia.

¶. Venit Joseph cum Nicodemo, & tulerunt Corpus JESU, & Sepelierunt illud in Monumento novo. In quo.

### LECTIO IV.

**E**xentibus autem illis, rogabant, ut sequenti Sabbato loquerentur sibi verba hæc. Cumque dimissa esset Synagoga, secuti sunt multi Judæorum, & colentium adventarum Paulum & Barnabam, qui loquentes suadebant eis, ut permanerent in gratia DEI. Sequenti verò Sabbato, penè universa Civitas convenit audire verbum DEI.

¶. Rogavit Pilatum Joseph occulte, propter metum Judæorum, & petiit Corpus JESU, & promisit Pilatus. \* Et posuit illud in Monumento suo novo, quod excidebat in petra. Alleluia.

¶. Et accepto, Corpore Joseph, involvit illud in Syndone munda. Et posuit. Gloria Patri. Et posuit illud.

### In II. Nocturno Antiphona.

Super muros tuos Hierusalem constitui Custodes, tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt laudare nomen Domini. Alleluia. Psalmi ut in Festo Dedicationis Ecclesiae, sub hac tantum Antiphona.

¶. Factus est in pace locus ejus. Alleluia.

¶. Et habitatio ejus in Sion. Alleluia.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

### LECTIO V.

*De Sepul. Cap. II.*

**J**nter Sancta & desiderabilia Loca, Sepulchrum Christi tenet quodammodo principatum, & devotionis plus nescio, quod sentitur, ubi

ubi mortuus requievit, quām ubi vivens conversatus est; atque amplius movet ad pietatem mortis, quām vitæ recordatio: puto quod illa austerior, hæc dulcior videatur, magisque infirmitati blandiatur humana quies dormitionis, quām labor conversationis, mortis securitas, quām vitæ rectitudo. Vita Christi vivendi mihi regula extitit, mors à morte redemptio. Illa vitam instruxit, mortem ista destruxit, vita quidem laboriosa, sed mors prætiosa. Utraque vero admodum necessaria. Quid enim Christi prodesse poterat, sive mors nequiter viventi, sive vita damnabiliter morienti? Nunquid denique, aut mors Christi, etiam nunc male usq; ad mortem viventes, à morte æterna liberat? aut mortuos ante Christum Sanctos Patres vitæ Sanctitas liberavit? Sicut scriptum est? quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi? Nunc ergo, quia utrumque nobis pariter necessarium erat, & piè vivere, & securè mori; & vivendo vivere docuit, & mortem moriendo securam reddidit. Quoniam quidem resurrecturus occubuit, & spem fecit morientibus resurgendi.

¶. Mulieres venerunt ad Monumentum, portantes, quæ paraverant, aromata \* Et invenerunt lapidem revolutum à monumento. Alleluia.

¶. Et factum est, dum mente consternatae essent, ecce duo Viri steterunt secùs illas in veste fulgenti. Et invenerunt lapidem.

## LECTIO VI.

**S**ive itaque hæc, sive alia quæcunque in hunc modum (prout in talibus in suo quisque abundat sensu) ex occasione Sepulchri Christianis sensibus suggestantur, puto, quod non mediocris dulcedo devotionis infundatur cominus intuenti, nec parum proficitur, cernendo etiam corporalibū oculis corporalem locum Dominicæ quietis. Etsi quippe jam vacuum Sacris membris, plenum tamen nostris, & jucundum admodum Sacramentis. Nostris, inquam, nostris, si tamen tam ardenter amplectimur, quām indubitanter tenemus, quod Apostolus ait: Concepulti sumus enim per Baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis erimus.

¶. Angelus Domini locutus mulieribus, dicens: Quem quæritis? An JESUM quæritis? jam surrexit. \* Venite & videte locum. Alleluia.

¶. JESUM quæritis Nazarenum crucifixum, surrexit, non est hic. Venite.

## LECTIO VII.

**Q**uam dulce est Peregrinis, post multam longi itineris fatigationem, post plurima terræ marisque pericula, ibi tandem quiescere, ubi & agnoscunt suum Dominum quievisse; puto, jam prægaudio

dio non sentiunt viæ laborem , nec  
gravamen reputant expensarum , sed  
tanquam laboris præmium , cursus-  
que bravium assecuti , juxta Scri-  
pturæ sententiam , gaudent vehemen-  
ter cùm invenerint Sepulchrum .

¶. Cùm transiret Sabbatum , Ma-  
ria Magdalene , Maria Jacobi , &  
Salome emerunt aromata . \* Ut ve-  
nientes ungerent JESUM . Alleluia .

¶. Et valde manè una Sabbato-  
rum , veniunt ad Monumentum or-  
to jam sole . Ut venientes .

## LECTIO VIII.

**N**Ec casu , vel subito , aut velu-  
ti lubrica popularis favoris o-  
pinione , id tam celebre nomen Se-  
pulchrum natum esse putetur , cùm  
hoc ipsum tantis retro temporibus  
Isaias tam aperte prædixit . Et erit ,  
inquit , in die illa radix Jesse ,  
qui stat in signum populorum ,  
ipsum gentes deprecabuntur , & e-  
rit Sepulchrum ejus gloriosum . Re-  
vera ergo impletum cernimus , quod  
legimus Prophetatum , novum qui-  
dem intuenti , sed legenti antiquum . Ut sic adsit de novitate ju-  
cunditas , & de vetustate non de-  
sit authoritas .

¶. Introeuntes in Monumentum ,  
viderunt Juvenem sedentem à dex-  
tris cooperum stolâ candidâ , & ob-  
stupuerunt , qui dixit illis . Nolite  
expavescere , JESUM quæritis Na-  
zarenum Crucifixum . \* Surrexit ,  
non est hic : ecce locus , ubi po-  
suerunt eum . Alleluia .

¶. Et regressæ , à Monumento  
nuntiaverunt hæc omnia illis un-

decim , & cæteris omnibus . Surrexit .  
Gloria Patri . Surrexit .

## In III. Noct. ad Cantica.

*Antiph.* Et Tronus ejus sicut Sol  
in conspectu meo , & sicut Luna  
perfecta in æternum , & testis in  
Cœlo fidelis . Alleluia .

*Cantic.* Benedicite Dominum . *Ut  
in Festo Dedic. Eccl.*

¶. Erit mihi Dominus in DEUM .  
Alleluia .

¶. Lapis iste vocabitur domus  
DEI . Alleluia .

## Lectio S. Evangelii Secun- dum Lucam.

## LECTIO IX. Cap. 24.

**I**n illo tempore : Una Sabbati val-  
de diluculo , venerunt Mulieres  
ad Monumentum portantes , quæ  
paraverant , aromata . Et reliqua .

## Homilia S. August: Ep:

*Serm. 50. in Append.*

**C**um Maria Magdalene venisset  
ad Monumentum , quam me-  
morem Salvatoris , amissa fide , de-  
votio in lachrymas compellebat ,  
videns revolutum à foribus lapidem ,  
cùm non invenisset in Sepulchro  
Dominum , caput acrius dolere ,  
quod perdidit defunctum : Mox  
autem ad Petrum , ejus Discipu-  
lum pervolat , quem pro meriti qua-  
litate vel fidei , major de ejus obi-  
tu cura tangebat , nuntiat inane Se-  
pulchrum , queritur Corpus abla-  
tum .

¶. Tule-

¶. Tulerunt Dominum meum , & nescio ubi posuerunt eum ; dicunt ei Angeli : Mulier quid ploras ? Surrexit sicut dixit. \* Præcedet vos in Galilæam , ibi eum videbitis. Alleluia.

¶. Cùm ergo fleret , inclinavit se , & prospexit in monumentum , & vidi duos Angelos in Albis sedentes , qui dicunt ei. Præcedet.

### LECTIO X.

Petrus verò Resurrectionis Filii DEI & ante Crucem conscious , quam prædixerat ipse passurus , sub tali nuntio non flevit , aut doluit , sed mōrem suum in Divinis virtutibus servans , properat experiri , quod credidit. Ad Sepulchrum itaq; Domini celeri cursu festinat , lætior redditurus , si non inveniret , quod quærebat.

¶. Congratulamini mihi omnes , qui diligitis Dominum , quia quem quærebam , apparuit mihi. \* Et dum flerem ad Monumentum , vidi Dominum. Alleluia.

¶. Recedentib⁹ Discipulis , non recedebam , & amoris ejus igne succensa ardebam desiderio. Et dum flerem.

*Benedictio. Divinum auxilium.*

### LECTIO XI.

Batus autem Evangelista , & ex consequentibus probat potentiam Resurgentis. Venit , inquit , Simon Petrus , & introivit in Monumentum , & cùm non invenisset Dominum , vidi linteamina posita ,

& sudarium , quod fuerat super Caput ejus: Jam Manifestus DEUS , perlatus , quem vivificaverat in Cœlum , & mortem vacuat & Sepulchrum. Nam linteamine , quo funus tegebatur exposito , reliquit terræ exuvias , vitali jam Corpore induita Majestas.

¶. Surge Domine in requiem tuam , Tu , & Arca Sanctificationis tue. \* Quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. Alleluia.

¶. Exurge DEUS , judica terram. Quoniam.

*Lectio XII. De Homilia Dominicæ secundæ post Pascha , cum Responsorio primo ejusdem Dominicæ. Virtute magna. Si verò hoc Festum transferretur extra Dominicam.*

### LECTIO XII.

Petrus igitur videns Resurrectiōnem , quām DEI Filius prænuntiaverat impletam , qui sollicitus venerat , securus abscessit. Maria tamen resurrectionis ignara , non cessat lachrymas fundere , nesciens hanc esse Dominici Corporis gloriam , quam putabat injuriam. Cujus inanes mōores Angelus magis prohibet , quām consolatur , ut Evangelista testatur: Maria , inquit , quid ploras ? Si Spirituali prudētia intentionem Divini sermonis intelligas , lachrymarum causam non tanquam ignarus interrogat , sed importunos fletus dolentis objurgat.

¶. Convertisti planctum meum in gaudium. \* Conscidisti saccum meum , & circumdedisti me lætitia. Alielua.

¶. Re-

¶. Refloruit caro mea , & ex voluntate mea confitebor ei. Conscidiſti saccum.

Gloria Patri. Conſcidisti,

*Sequentia Sancti Evangelii  
Secundum Lucam.*

**I**N illo tempore : Una Sabbati valde diluculo , venerunt Mulieres ad Monumentum , portantes , quæ paraverunt , aromata , & invenerunt lapidem revolutum à Monumento , & ingressæ non invenerunt Corpus Domini JESU. Et factum est , dum mente consternatæ essent de isto , ecce duo Viri steterunt secus illas in veste fulgenti. Cùm timerent autem , & declinarent vultum in terram , dixerunt ad illas : Quid quæritis ? Viventem cum mortuis ? Non est hic , sed surrexit. Recordamini , qualiter locutus est vobis , cùm adhuc in Galilæa esset , dicens : Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum , & crucifigi , & die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum ejus , & regressæ à Monumento , nuntiaverunt hæc omnia illis undecim , & cæteris omnibus. Erat autem Maria Magdalene , & Joanna , & Maria Jacobi , & cæteræ , quæ dicebant ad Apostolos hæc. Et visa sunt ante illos , sicut deliramentum , verba ista , & non crediderunt illis. Petrus autem surgens , cucurrit ad Monumentum , & procumbens vidit lintemina sola posita , & abiit secum mirans , quod factum fuerat.

*Oratio. Domine JESU. Ut supra  
in primis Vesperis.*

**A D L A U D E S.**

*Et per Horas Antiphona.*

**V**ota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus , in atriis domûs Domini , in medio tui Hierusalem. Alleluia.

*Psalmus. Dominus regnavit. Cum reliquis de Dominica.*

*Antiphona. Ingredieris in abundantia Sepulchrum , sicut infertur acervus tritici in tempore suo. Alleluia.*

*Ant: Qui expectant mortem , & non venit , quasi effodientes thesaurum , gaudentque vehementer , cùm invenerint Sepulchrum. Allel:*

*Ant: Tollite hostias , & introite in atria ejus , adorate Dominum in atrio Sancto ejus. Alleluia.*

*Antiph. In Sole posuit tabernaculum suum , & ipse tamquam Sponsor procedens de thalamo suo. Alleluia.*

*Capitulum. Cum consummassent.  
ut in primis Vesperis.*

*R. breve. Tuum Sepulchrum adoramus Domine. \* Alleluia. All.  
Tuum Sepulchrum.*

*¶. Et recolimus tuam gloriosam Resurrectionem. Alleluia.*

*Gloria Patri. Tuum Sepulchrum.*

**H Y M N U S.**

**A**Udite tristes inferi ,  
Turbæ frementes hostium ,  
Vestræ ruinæ nuntium ,  
Sacri Sepulchri gloriam.

*En*

En jam futuri conscius,  
 Illam Propheta præcinit,  
 Et gloriosum posteris  
 Narrat Sepulchrum sæculis.  
 Hic ille: Rex fortissimus,  
 Fractis averni viribus,  
 Et mortis excusso jugo,  
 Primum trophæa suscitat.  
 Candore tectus vestium,  
 Novoque lucis fulgore,  
 Delapsus astris Nuntius  
 Hic excubavit Angelus.  
 Jam temperandum lachrymis,  
 Satis datum suspiriis.  
 Gravi dolore sauciæ  
 Hic audierunt Fæminæ.  
 Et vos Magistri funere  
 Planè simul commortui,  
 Vestro dolori gaudium  
 Tul istic hic Apostoli.  
 Tu vero Christe maxima  
 Tui Sepulchri gloria,  
 Mortem resurgens viceras,  
 Nos morte culpæ libera.  
 DEO Patri sit gloria,  
 Et Filio qui à mortuis  
 Surrexit & Paraclito,  
 In sempiterna sæcula. Amen.  
 ¶. Dum esset Rex in accubitu  
 suo. Alleluia.  
 ¶. Nardus mea dedit odorem sua-  
 vitatis. Alleluia.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Abeuntes Judæi munierunt Se-  
 pulchrum, advolventes lapidem ad  
 ostium Monumenti, & signantes  
 eum cum custodibus. Alleluia.  
 Oratio. Domine JESU Christe.  
*ut supra.*

*Ad Tertiam, Antiphona.*

Ingredieris. Capit. Cum consum-  
 massent. Ut in primis Vesperis.  
 ¶. Tuum Sepulchrum adoramus  
 Domine. Alleluia.

¶. Et recolimus Tuam glorio-  
 sam Resurrectionem. Alleluia.

*Ad Sextam, Antiphona.*

Qui expectant.

*Capitulum.*

Et accepto Corpore Joseph, in-  
 volvit illud in Syndone munda, &  
 posuit in Monumento suo novo,  
 quod exciderat in petra.

¶. Verè locus iste Sanctus est.  
 Alleluia.

¶. Et ego nesciebam. Alleluia.

*Ad Nonam, Antiphona.*

In Sole posuit.

*Capitulum.*

Una Sabbati valde diluculo ve-  
 nerunt Mulieres ad Monumentum,  
 portantes, quæ paraverunt, aro-  
 mata, & invenerunt lapidem revo-  
 lutum à Monumento.

¶. Te decet hymnus DEUS in  
 Sion. Alleluia.

¶. Et tibi reddetur votum in Je-  
 rusalem. Alleluia.

*In secundis Vesperis omnia, ut  
 supra in primis, præter sequentia.  
 Loco ultimi Psalmi dicitur. Super  
 flumina Babilonis. Vide Feria quar-  
 ta ad Vesp.*

¶. br. Lapidem, quem reproba-  
 verunt. \* Allel. Allel. Lapidem.

¶. Hic factus est in caput anguli.  
 Allel. Gloria Patri. Lapidem.

*Hymnus, Sacri Sepulchri. ut supra.  
 ¶. Ipsi*

¶. Ipsi Gentes deprecabuntur.  
Alleluia.

¶. Et erit Sepulchrum ejus gloriosum. Alleluia.

### *Ad Magnificat, Antiphona.*

Intrœuntes in Monumentum, vi-  
derunt Juvenem sedentem à dex-  
tris, cōpertum stolâ candida, & ob-  
stupuerunt. Allel.

*Oratio Domine JESU Christe.  
ut supra.*

*Et fit Commemoratio Dominicæ.*

### DIE XXIII. APRILIS.

*In Festo S. ADALBERTI  
Episc. & Martyris P.R.P.  
Duplex i. Clas. Hymni pro-  
prii, Auctoritate Sedis Apo-  
stolicæ pro Clero Seculari  
& Regulari approbati.*

### *Ad Vesperas, Antiphona.*

Sancti tui Domine, cum reliquis  
de Communi Martyrum tempore Pa-  
schali. Psalmus. Dixit Dominus, cum  
reliquis de Dominica.

*Capitulum. Stabunt justi.*

¶. br. Lux perpetua. Ut in eo-  
dem Communi.

### H Y M N U S.

O! Martyr invictissime!  
Plus fortibus fortissime,  
Quis gloriōso canticō  
Nomen tuum sat concinat?  
Affatus Almo Numine,  
Oras adis Pannoniæ,

Ibique Regem Dogmate,  
Prolemque firmas Chrismate.

Urbes Poloniæ petis,  
Veræ Salutis Nuntius,  
Pastor bonus Christi fidem,  
Verbo DEI doces pridem.  
Tandem Borussis finibus,  
Ponis triumpho terminum,  
Gentes rebelles inferi  
In te furorem suscitant.

Stant Veritatis invidi,  
Dum Sacra ad Aram perficis,  
Fodire Corpus lanceā  
Manus feroce non pavent.

Hinc semivivi Corporis,  
In frusta membra dissecant,  
Caput triumpho gloriæ  
Cœlis in hasta sublevant.  
O! Victor ergo Nobilis!  
Dum te colentes psallimus.  
Tuus triumphalis dies  
Imploret Indulgentiam.

E Christianis partibus  
Belli timores excute,  
Pacem precamur impetra,  
Donum tui sit Sanguinis.

Præsta Beata Trinitas,  
Divinâ dones Unitas,  
Nobis Adalberti preces,  
Cœli mereri gloriam. Amen.

¶. Sancti & Justi. Ut in eodem  
Communi:

### *Ad Magnificat, Antiph.*

Magnificet te Domine, tuo re-  
dempta Sanguine Christiana læta-  
bunda plebs, annua Adalberti vo-  
tiva celebrans solemnia: cujus mor-  
te pretiosa, devota promit gaudia,  
ut per ejus suffragia tua impetreret  
beneficia. Alleluia.

OR A.

## ORATIO.

**T**uam nobis indulgentiam, quæsumus Domine, Beatus Adalbertus Episcopus & Martyr imploraret, ut & delicta nobis clementer ignoscas, & beneficia desiderata concedas. Per Dominum Nostrum.

## Ad Matutinum Invitatorium.

Exultent in Domino Sancti. \* Alleluia. Psalm. Venite exultemus.

## HYMNUS.

**H**ymnis canamus Martyrem, Apostolumque, Præsulem Bohemiæ, Poloniæ, Hungariæ, Borussiæ. Natus Comes hic Nobilis, Morbo puer pressus gravi, Votô Parentum fit DEO, Cœlo patens oblatio.

Crescit pius Vir temperans, Fit Spiritu plenus DEI. Scriptura Sacra discitur, Prius domo non mittitur. Adit Cathedram Pontifex Sedens equo, fræno levi, Sancto futuro Præsuli, Soli reclamant inferi.

Denos alebat pauperes, Humi cubabat languidus. Mox excitat somnum lapis, Nox dormientem non videt.

Justus, pudicus, sobrius Formam ferens Antistitum. Per signa, per miracula, Exempla tradit omnibus. Christus videtur venditus, Gregem dolet deperditum, Præcepta contemni videt, Gentis saluti providet.

Hastis pio dūm Præsuli.

Necem parant increduli.

Confossus Aris vincitur,

Dum vincit, interficitur.

Auri levi sat pondere

Corpus redemptum venditur,

Gnesnam suis reducitur,

Pastor salutis redditur.

JESU Redemptor omnium

Dimitte nostra crimina

Da Martyris per præmia,

Æterna nobis gaudia. Amen.

Antiphona, Psalmi, & omnia alia dicuntur de Comm: Martyr: tempore Pasch: exceptis his, quæ hic assignantur.

Lectiones in I. Noct: A Mileto. de Comm. unius Martyris.

In II. Noct: quæ etiam in Festo Translationis ejusdem S. dicuntur.

## LECTIO V.

**A**dalbertus Episcopus Pragensis in Boémia nobilissimis Parentibus, Slaunico Libicensi Comite, & Matre Strezyslava natus. Voitechus anteà patrio sermone dictus fuit, ab Episcopo autem Magdeburgensi Adalberto, apud quem deinceps piè & honestissimè educatus est, alterum nomen accepit. Postquam Ditmaro in Episcopatu Pragensi successit, eum Sanctissimè, in magna vitæ continentia, pieta, pauperumque cura gessit. Propter contumacis tamen populi gratia peccata, deserere illum coactus; Sedem Apostolicam hac de re consulturus in Italiam se contulit.

¶ Lux perpetua.

## LECTIO

## LECTIO VI.

Peregrinatione Jerosolymitana, quam instituerat, intermissa, Romæ Leoni Abbatii S. Bonifacii commendatur. Ibi cum in Religiosa vita quinquennium exegisset, à Pragensibus pertæsis orbitatis denuò revocatur. Principis ipsius, & Archi-Episcopi Moguntini Nuntiis, precibusque exoratus Pontifex, redire Adalbertum ad suos jubet. Recipiunt læti reducem: non diu tamen illi obtemperant: Sacras enim Ædes invadunt, santesque, qui ad illas confugerant, per vim ereptos interficiunt. Iterum illos deserit Adalbertus, animoque ad convertendas gentes alias, & ad Martyrium destinatō: ut Benedictionem tamen Sedis Apostolicæ obtineat, Romam revertitur.

R. In Servis.

## LECTIO VII.

Denuò Pragenses, & Moguntini Adalbertum repetunt. Cumque jussu Pontificis iterū ad illos rediret, tres Fratres suos ab eis cæsos esse cognoscit. Pragensem ergo viam præclusam sibi, mentesq; illorum à se alienatas esse videns, DEO gratiis actis, convertendi gentes, quod Romanus Pontifex probarerat, institutum suum prosequitur. Hungariam cum Rege Geisa ejusque filio Sancto Stephano in fide Christi confirmato: Poloniam vicinam, cognatamque Boémis suis gentem, salutarib; præceptis copiosius instruit.

R. Filiaj Jerusalem.

## LECTIO VIII.

Post triennium autem Radzino Fratre, in Archi-Episcopatum Gnesensem suffecto, ipse in Prussiam idolis adhuc, & dæmonibus servientem proficiscitur. Ibi dum Religionem Christianam disseminaret, apud Fishausum, sinus Venetici oppidum, inter Sacrificandum confossum, & in partes dissectus est. Corpus ejus à Boleslao Chrabro Principe Poloniae postea redemptum, & in Tremesnense Monasterium prius, deinde Gnesnam Metropolim honorificè translatum est. R. Lætabitur justus.

In III. Nocturno.

## Lectio Sancti Evangelij secundum Joannem.

## LECTIO IX.

Cap. 10. 6.

IN illo tempore: Dixit JESUS Phariseis: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor, animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Hom. 17. in Evangel.

EST aliquid Fratres! quod me de vita Pastoris vehementer affigit. Ad exteriora enim negotia delapsi sumus; aliud ex honore suscipimus, atque aliud ex officio actionis exhibemus. Ministerium prædicationis relinquimus, & ad poenam nostram, ut video, Episcopi vocamur, qui honoris nomen non virtutis tenemus. Relinquunt namque

namqu  
missi  
action  
nus n  
multas  
infernu  
demus.  
R. I  
palmit  
ego in  
tum, a  
V. S  
ego di

S Ed c  
val  
gimus  
laribus  
res int  
quæ fo  
mur.  
Cælest  
& dum  
tur, p  
molliri  
ad cha  
Sanc  
infirma  
custode  
non cu

R. C  
ejus, a  
derunt  
agulati  
R. C  
lacte,  
sapphi

III.

Radzino  
copatum  
in Prus-  
monibus  
bi dum  
dissemi-  
nus Ve-  
rifican-  
s disse-  
Boleslao  
postea  
use Mo-  
nesnam  
slatum

namque DEUM hi , qui nobis commissi sunt , & tacemus : in pravis actionibus jacent , & correptionis manus non tendimus , quotidie per multas nequitias pereunt , & eos ad infernum tendere negligenter videntur.

R. Ego sum vitis vera , & vos palmites ; \* Qui manet in me , & ego in eo , hic fert fructum multum , alleluia , alleluia.

V. Sicut dilexit me Pater , & ego dilexi vos . Qui manet .

LECTIO X.

Ed quomodo nos vitam corrigere valemus alienam , qui negligimus nostram ? Curis enim Sæcularibus intenti , tanto insensibiliores intus efficimur , quanto ad ea , quæ foris sunt , studiosiores vide- mur. Usu quippe curæ terrenæ à Cælesti desiderio obdurescit animus , & dum ipso suo usu durus efficitur , per actionem sæculi ad ea emolliri non valet , quæ pertinent ad charitatem DEI. Unde benè Sancta Ecclesia de membris suis infirmantibus dicit. Posuerunt me custodem in vineis : vineam meam non custodivi.

R. Candidi facti sunt Nazaræi ejus , alleluia : splendorem DEO derunt , alleluia. \* Et sicut lac coagulati sunt , alleluia.

R. Candidiores nive , nitidiores lacte , rubicundiores ebore antiquo , sapphiro pulchriores. Et sicut .

LECTIO XI.

Considerate ergo , quid de gregibus agatur , quando Pastores lupi fiunt ? hi enim custodiam gregis suscipiunt , qui insidiari gregi Dominico non metuunt , contra quos greges DEI custodire debuerant. Nulla animarum lucra querimus , ad nostra quotidie studia vacamus ; terrena concupiscimus , humanam gloriam intenta mente captamus.

R. O ! quam prædicanda , & laudanda in S. Adalberto excellentia Cælestis gratiæ radiat , cum & in ævo sit teneriore. \* Et in Divino Sacerdote , Sancto Martyre DEO munus acceptabile , alleluia.

R. Fit in pueri oblatio , Sacrificium in Præsule , holocaustum in Martyre. Et in Divino.

LECTIO XII.

ET quia eò ipso , quo cæteris prælati sumus , ad agenda quælibet majorem licentiam habemus , susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum. DEI causam relinquimus , ad terrena negotia vacamus. Locum sanctitatis accipimus , & terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis profecto , quod scriptum est : Et erit sicut populus , sic Sacerdos.

R. Alme Præsul , & Beate DEI Martyr Adalberte , confer opem pe- tentibus , tuis Sanctis preci- bus ma- la pelle , bona posce. \* Præsta pa- cis incrementum , confer vita gau- dia , alleluia.

R. Ut

*V. Ut sub tuo protecti Pátroci-  
nio gloriemur in laude DEI per-  
petuo. Præsta pacis. Gloria Pa-  
tri. Præsta.*

*Sequentia Sancti Evangelii  
secundum Joannem c. 10. 6.*

**I**N illo tempore: Dixit JESUS Phariseis: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cuius non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves: Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum Pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me mæ. Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fieri unum ovile, & unus Pastor.

**O R A T I O.**

**T**UAM nobis indulgentiam, quæsumus Domine, Beatus Adalbertus Episcopus & Martyr implore, ut & delicta nobis clementer ignoscas, & beneficia desiderata concedas. Per Dominum nostrum.

*Ad Laudes Antiph. Sancti tui Do-  
mine. Cum reliquis de Communi  
Martyrum tempore Paschali.*

**H Y M N U S.**

**O**! Christe robur Martyrum,  
Decus, Corona, Præmium.  
Firmans Adalbertus fidem,  
Pro teste fudit Sanguinem.  
Pastor bonus Christi gregis,  
Deperditas querens oves,  
In innocentia Sanguine,  
Pro victima vitam dedit.  
Qui tot labores pertulit,  
Ut ad salutis pascua  
Oves reducat perditas,  
Fideque servet creditas.

Nunc efficacem gratiam  
Petat suis fidelibus,  
Noscat gregem semper suum,  
Quem protegat, pascat, regat.

Præsul Bohemis qui prius  
Severus & mitis fuit,  
Nunc mitius dat omnibus  
Cœleste desiderium.

Vigiliis, jejuniis  
Carnem subegit spiritu,  
Discamus & nos sensuum  
In Spiritu custodiam.

A Vanitate sæculi  
Cor, atque sensus liberet.  
Quæramus, ut semper DEUM,  
Jesumque cordis gaudium.

Præsta beata Trinitas.  
Divina dones Unitas,  
Nobis Adalberti preces,  
Cœli mereri gloriam. Amen.  
*¶. Pretiosa. Ut in eodem Comm.*

*Ad Benedictus Antiphona.*

Sacerdos DEI Adalberte, Martyr  
& Pontifex gloriose, intercede ad  
Dominum pro devotis famulis. Al-  
leluia.

*In secundis Vesp. Ant. Psal. Capit.  
¶ br. ¶ De Comm. Mart. temp.  
Paschali.*

*Hymnus. O! Martyr invictissime.  
ut in primis Vesp.*

*Ad Magnificat, Antiph.*

Per merita S. Adalberti Christi nos exaudi, atque ejus precibus, nobis succurre miseris. Allel:

*Oratio. Tuam nobis indulgiam. ut supra.*

## EODEM DIE.

*In Lithuania Festum Sancti GEORGII Martyris.*

*Duplex i. Classis.*

*Omnia de Communi Martyrum tempore Paschali, præter ea quæ sequuntur.*

## ORATIO.

DEUS, qui nos Beati Georgii Martyris tui meritis, & intercessione lætificas: concede proprius, ut qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per Dominum Nostrum.

*In primo Noct: Lectiones.*

Stabunt justi. Ut in eodem Comm.

*In secundo Nocturno.*

De Sermone S. Laurentii Patriarchæ Venetiarum.

*In*

## LECTIO V.

Gorgius propugnator eximius, terrenæ abrenuntiavit militiæ, ut Christi miles efficeretur egregius, facultates, quas habebat, dispersit pauperibus, ut divitias perennes possideret in Cœlo; suam quoque animam odivit in mundo, ut in vitam illam reconderer æternam. Repererat pretiosam margaritam latitantem in agro, per quod distractis omnibus mercatus est eam. Dominum dixisse audierat, nisi quis renuntiaverit omnibus, non potest esse meus discipulus. Prætulit discipulatum Christi opibus, honoribus, voluptatibus, corpori, & temporali vitæ, ideo intrepidus, armatus, & nudus secutus est Christum. Non carceres, gladios, fustes, vincula, aculeos, tortores, ignem, tyrannos expavit, nec mortem. Nudus nudum Christum attendebat in stipite, illius accendebatur exemplò, ejusq; passionis doloribus angebatur. O! beata mens Martyris, quæ nec tribulatione, nec angustia, nec plaga, nec laboribus, nec præsentibus, nec futuris à Christo voluit separari.

*¶ Lux perpetua.*

## LECTIO VI.

Vivebat in carne, & corde cum Christo jam pendebat in Crucifixus, ideoque dicebat Christo: Crucifixus sum, vivo ego, vivit autem in me Christus. Longè excellentius Martyr sic mortuus vivebat

D

vebat in Christo, quām si feliciter florens alienus esset à Christo. Vides! quām locuples talis sit mors, quæ vitam cum Christo præstat æternam. Sic planè mortuus erat Sanctus Georgius vivens in Christo. Mortuus quidem erat vitiis, mortuus erat sæculo, mortuus erat & sibi; nisi taliter fuissest mortuus, minimè Christo vivere potuisset. An non mortuus erat sæculo? qui oblatas dignitates, & gaudia pro amore Christi, & spe æternæ mercedis repudiavit ut stercora. Nonne vivus erat defunctus? qui laboribus, abstinentia, paupertate, virtutibus cæteris, corpus quotidiana maceratione domabat? De talibus Pauli voce dicitur: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixere cum vitiis & concupiscentiis. Quomodo vero sibi vixisse Sanctus iste dicendus est? Qui verbum DEI circumquaque disseminans, Christi gloriam audientium auribus insonabat. Quot valebat auferre diabolo, lucrabatur Christo; magnanimitate namque præcinctus, & charitatis dono suffultus, coram regibus & terræ Principibus, Christum libera confitebatur voce.

R. In servis.

### LECTIO VII.

**H**inc factum est, ut carceri manciparetur, virgis & scorpionibus cæderetur, lampadarum ustionibus ureretur, cremaretur, lanarietur, perimeretur. In his quoniam vivebat in Christo, se exhibebat, ut mortuum, nulla planè

in illo querimoniae resonabat vox, nullus repugnandi motus, tanquam bellator præcipius arbitratus est fôrè congruum, ut paciente Rege, atque pro animarum occumbente salute, ipse segniter vivere, sine certaminis exercitatione deficeret; frequenter animô illud Evangelium revolvebat: Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

R. Filiæ Jerusalem.

### LECTIO VIII.

**Q**Uamobrem dilectionem, quam habebat ad Dominum, factis maluit ostendere, quām verbis. Redemptorem utique suum non ingratus de munere, est imitatus in morte, de quo ait Propheta: sicut ovis ad occisionem ductus est, & tanquam agnus coram tondente sime voce, sic non aperuit os suum. Obmutuit planè iste, & os suum nisi orando aperuit, quatenus Hostia DEO acceptabilis fieret, ne illi in longanimitate patientiae inveniretur dissimilis, qui in Crucis perpessione supplicii, eloquium nullum contradictionis emisit. Hinc gestum est, ut Domini sui sicut socius extitit pœnæ, ita particeps illius efficeretur gloriae, qui in Cœli regno cum Patre, & Spiritu Sancto triumphat in sæcula.

R. Lætabitur justus.

*In III. Noct: Homilia in Evang:*  
Ego sum vitis vera. *De Communi Martyr. tempore Paschali, primo loco.*

DIE

## DIE XXVII. APRILIS.

*In Festo Sancti Fidelis Martyris Duplex, de Praecepto, per Decr. Clem. XIV.*

*Die 16. Febr. 1771.  
emanatum.*

*Omnia de Communi Martyrum tempore Paschali, præter ea quæ hic assignantur.*

## ORATIO.

**D**eus qui Beatum Fidelem Seraphico Spiritus ardore succensum in veræ Fidei propagatione Martyrii palma, & gloriose miraculis decorare dignatus es: ejus quæsumus meritis & intercessione, ita nos per gratiam tuam in fide & charitate confirma, ut in servitio tuo fideles usque ad mortem invenerimus mereamur. Per Dominum nostrum.

*In primo Nocturno Lectiones.*

Stabunt justi. ut in eodem Comm:

*In secundo Nocturno.*

## LECTIO V.

**F**idelis in Oppido Sveviæ Sigmarina, ex honesta Reyorum familia natus, ab ineunte ætate singularibus naturæ & gratiæ donis ornatus præfulsit. Egregiam quippe sortitus indolem, morumque optimam imbutus disciplina, dum Friburgi Philosophiæ, & Juris utriusque lauream emeruit, in Schola

etiam Christi ad perfectionis apicem sedulo virtutum exercitio contendere cœpit. Nobilium exinde Virom varias Europæ Provincias lustrantium comes adscitus, eos ad Christianam pietatem sectandam tam verbis quam operibus excitare non destitit. Quinimo in eodem itinere crebris austerritatibus desideria carnis mortificare, ac ita se ipsum regere studuit, ut in tanta rerum vicissitudine nullo unquam visus fuerit iræ motu perturbari. Juris præterea, & Justitiae strenuus Propugnator, post redditum in Germaniam celebre sibi nomen acquisivit in Advocati munere, in quo tamen cum Fori pericula esset expertus, tutiorem æternæ salutis viam ingredi deliberavit, & superna vocatione illustratus, paulo post Ordini Seraphico inter Fratres Minorum Capucinos adscribi petiit.

¶ Lux perpetua.

## LECTIO VI.

**P**læ petitionis compos redditus, mundi, suique contemptor insignis, in ipso statim tyrocinio, magisque cum solemnis Professionis vota in gaudio Spiritus Domini nuncupasset, in Regulari observantia omnibus admirationi fuit & exemplo. Orationi maximè & sacris literis vacans, in verbi quoque ministerio singulari gratia excellens, neandum Catholicos ad meliorem frugem, verum etiam Heterodoxos ad veritatis cognitionem attraxit. Pluribus in locis Cœnobii Præfectus constitutus, prudentiâ, justitiâ,

man-

mansuetudine, discretione, & humilitatis laude munus sibi demandatum exercuit. Arctissimæ Paupertatis zelator egregius, quidquid vel minus necessarium videretur, è Cænobio penitus eliminavit. Inter austera jejunia, vigilias, & flagella, salutari seipsum prosequens odio: in alios amorem, quasi Mater in filios, ostendit. Cum pestifera febris Austriacas militares copias dire affligeret, ipse in extremis infirmorum indigentiis ad assidua charitatis officia toto spiritu incubuit. In componendis etiam animorum dissidiis, aliisque proximi necessitatibus sublevandis, consilio & opere adeò præclarè segessit, ut Pater Patriæ meruerit appellari.

¶. In servis suis.

### LECTIO VII.

**D**eiparae Virginis, & Rosarii cultor eximus, illius præcipue, aliorumque Sanctorum Patrociniiis à DEO postulavit, ut in Catholicæ Fidei obsequium vitam sibi & sanguinem fundere liceret. Cumque ardens hoc desiderium in quotidiana Sacri devota celebratione magis accenderetur, mira DEI Providentia factum est, ut fortis Christi Athleta Præses eligeretur illarum Missionum, quas Congregatio de Propaganda Fide pro Rhetia tunc temporis instituerat. Quod arduum munus prompto hilarique animo suscipiens, tanto fervore executus est, ut pluribus Hæreticis ad Orthodoxam fidem conversis, spes non modica affulserit totius illius gentis

Ecclesiæ, & Christo reconciliandæ.  
¶. Filiæ Jerusalem.

### LECTIO VIII.

**P**rophetiæ dono prædictus futuras Rhetiæ calamitates, suique necem ab Hæreticis inferendam sæpius prædixit. Postquam verò insidiarum probe conscius impendi agoni se præparasset, die vigesima quarta Aprilis, Anni millesimi sexcentesimi vigesimi secundi, ad Ecclesiam loci Sevisium nuncupati, se contulit, ubi ab Hæreticis, qui pridie conversionem simulantes, eum dolosè ad prædicandum invitaverant, concione tumultuarie interrupta, per verbora ac vulnera eidem crudeliter inflicta, gloriosam mortem magno & alacri corde perpessus, Primitias Martyrum memoratae Congregationis proprio sanguine consecravit. Pluribus signis, & miraculis exinde clarus, præsertim Curiæ & Veldkirchii, ubi summa populi veneratione illius Reliquiæ asservantur.

¶. Lætabitur justus.

*In III. Noct. Homilia S. Augustini Episcopi in Evangelium. Ego sum vitis vera, & Pater meus. de Communi Martyrum tempore Paschali primo loco. Missa, Proxisti, de Communi unius Martyris tempore Pasch.*

EODEM

## EODEM DIE.

*In Lithuania S. ADALBERTI Episcopi & Martyris, Duplex i. Classis.*

*Omnia ut die 23. Aprilis fol. 24.*

## DIE XXVIII. APRILIS.

*Festum S. Fidelis Martyris, Duplex.*

*Omnia ut die 27. Aprilis fol. 31.*

## DIE II. MAJ I.

*In Festo S. Athanasii Episcopi & Confessoris, Commemoratio S. Sigismundi*

*Reg: Martyris, cum Lectione XII.*

## ORATIO.

**D**EUS qui Beatum Sigismundum Regem temporali & aeterno diademate cum desiderata Martyrii corona honorare dignatus es: tribue quæsumus, ut qui ejus merita veneramur in terris, ipsius intercesione ab omnibus protegamus adversis. Per Dominum nostrum.

## LECTIO XII.

**S**igismundus Rex & Martyr, Tunebaldo Rege Burgundiæ infidelis inter fideles natus, à pueri Christianæ Fidei addictissimus, jenuniis, orationibus, & eleemosinis

assidue operam dabat. Patri mortuo succedens, Regnum è tenebris infidelitatis ad lumen fidei sanctæ adducere omni studio conabatur: in quo ille subditis suis exemplo humilitatis, sobrietatis, mansuetudinis, pietatis, munificentia, justitia, reliquarumque virtutum prælucebat. Et quamvis secundæ uxoris impulsu, filium, quem ex priori uxore suscepserat, occidisset; is tamen lapsus effecit, ut veluti alter David, duriorem poenitentia viam ingressus, majoris gratiæ divinæ thesaurum sibi compararet. Talia vulnera, & cicatrices Sanctorum gloria sunt Cœlestis chirurgi. Itaque cum memorias Sanctorum visitaret in finibus Sedunorum, ejus loci, in quo Sanctus Mauricius cum Sociis suis passus est, devotione captus, divinitus responso accepto, Agaunensem Ecclesiam cum Monasterio extruxit & dotavit. Ubi postea religioso habitu suscepto, uberes lachrymas cum Sanctorum Martyrum sanguine conjungebat, pro suis subditorumque suorum peccatis agens poenitentiam. Interim Franci, adhuc infideles, Burgundiam ingressi vastare cœperunt. Quibus se Burgundii, qui adhuc in infidelitate persistebant, adjungentes, Regnum & Regem Sigismundum illis prodiderunt. Quem illi captum in puteum veterem profundissimum apud Coloniam Vicum projecerunt, & submerserunt; unaque uxorem ejus, & filios duos, Histaldum & Genebaldum. Corpus ejus Cœlestibüs radiis ac revelationibus divinis demonstratum, in Ecclesia, quam

quam Sanctis Martyribus constru-  
xerat, appositum est.  
¶. Beatus vir.

## DIE IV. MAJI.

In Festo S. Floriani Mili-  
tis & Martyris. Duplex  
majus.

Vesperæ de S. Cruce cùm Com-  
memoratione S. Floriani.

### Antiphona.

O florem Eden purpureum Bea-  
tissimum Florianum, qui sæculi  
militiam, in vitæ commutans in-  
nocentiam, ad Martyrii agonem per-  
fidei properans confessionem, pro  
Christo lætus occubuit, regnumque  
supernum obtinuit. Alleluia.

¶. Sancti & justi in Domino  
gaudete. Alleluia.

¶. Vos elegit Deus in heredita-  
tem sibi. Alleluia.

### ORATIO.

DEUS, qui nos Beati Floriani  
Martyris tui solemnitate læti-  
ficas; concede propitius, ut cuius  
gloriosum triumphum veneramur in  
terris, societatis ejus lætitiam adi-  
pisci mereamur in cœlis. Per Do-  
minum nostrum.

Ad Matutinum omnia de Com-  
muni Martyrum tempore Paschali,  
præter ea, quæ hic assignantur.  
Hymnus ex Vesperis, Lectiones  
primi Nocturni. Stabunt justi. ut  
in eodem Communi.

### In secundo Nocturno.

### LECTIO V.

Ex Martyrol. & Annal. Polon.

Florianus Martyr passus est Di-  
ocletiano & Maximiliano Im-  
peratoribus, persecutione decima,  
eaque ultima. Cùm Theciæ au-  
divisset quadraginta milites, qui  
sub ejus signis aliquando stipendia  
merebant, Laureacum Norici Mar-  
tyrii causa alegatos, ac ibi variis  
tormentis consumptos esse, festinè  
ad illud opidum se contulit, turpe  
putans veteranum in tam pulchra  
victoria à tyronibus vinci.

¶. Lux perpetua.

### LECTIO VI.

Comprehensus sistitur Aquilino  
Præfecto. Qui cùm in con-  
fessione JESU Christi constanter  
perseveraret; fustibus Præfecti jus-  
sū semel atque iterum cæditur in  
scapulis, deinde ferrō acuto gravi-  
ter verberatur. Ad extremum, sa-  
xō ad collum appensō in fluvium  
Anasum dejici jubetur. Gaudens  
ibat à conspectu Judicis Florianus.  
Ad pontem, ubi venit, impetrat  
orationis tempus. In qua cùm to-  
tā horâ commoraretur; audacior  
quidam accurrit, ac Martyrem in  
fluvium dejecit, in quem confe-  
stim cecidit caligo & tenebræ.

¶. In servis suis.

### LECTIO

## LECTIO VII.

**S**ED ecce DEI servis serviunt omnia: deportat fluvius Sancti Corpus, & ad saxum exponit. Mittitur à DEO inusitatæ magnitudinis aquila, quæ Corpus Sancti ab omni protexit injuria. Apparet demum in somnis piæ cuidam Mullieri Valeriæ, ac ut Corpus suum condat, admonet. Romam postea transfertur, ac cùm principibus Diaconis Stephano & Laurentio collocatur, magno Urbis solatio & præsidio. Nam ejus adventu, omnis barbarorum furor, qui tum Urbem ac universam Italiam vexabat, resedit, paxque optata restituta est.

R. Filiæ Jerusalem.

## LECTIO VIII.

**T**Andem anno Domini millesimo centesimō octogesimō tertio, Casimirus bello & pace clarus Poloniæ Princeps, una cum Gedone Episcopo Cracoviensi, ad Lucium tertium Summum Pontificem mittunt, precantes, ut illis aliquis è Sanctis Martyribus ossa impertiatur, qui genti & Urbi contra Prussos, Tartaros, aliasque barbaras gentes pro muro & vallo esset. Mittuntur ergo per Ægidium Episcopum Mutinensem Sacra ossa. Gens tota cum Rege suo ad septem milliaria tanto hospiti obviam effusa prodit. Deponitur honorificè Martyr in templo à Casimiro extuncto: pars corporis in primarium templum defertur, ac in marmo-

reo altari includitur. Et sicut Jerosolyma Stephano, Roma Laurentio; ita suo gaudet Polonia Floriano.

R. Lætabitur.

In tertio Nocturno.

## Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.

## LECTIO IX. Cap. 15.

**I**N illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Ego sum vitis vera: & Pater meus agricola est. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Episcopi Alexandrini.

In Joannem lib. 10. cap. 13.

**U**LT quantum oporteat inhærente sibi, & ab eo pendere, & quantum nobis hoc prodest, ostenderet; vitem se ipsum exempli ratione, & palmites affixos in eo credentes appellavit, qui participatione spiritus, per quem Salvatori conjungimur, naturæ suæ communicamus. Qui enim Domino, ut ait Paulus, adhæret, unus est spiritus cum eo,

R. Ego sum vitis.

## LECTIO X.

**Q**uemadmodum igitur voce Prophetica basis & fundamentum appellatur (in ipso enim ædificamur vivi lapides, spiritalesque facti ad habitaculum Dei in spiritu, & Sacerdotium Sanctum; nec ædificari, nisi per Christum possumus) sic vitis appellatur, ut mater & nutritrix palmitum.

R. Candidi facti.

## LECTIO

## LECTIO XI.

**R**egenerati enim ex Christo, & per ipsum in spiritu sumus, ad referendum fructum vitæ, non illius priscæ, sed hujus novæ, quæ est per fidem & charitatem erga ipsum.

**R.** Quam venerandus dum sese commilitonem Christi fatetur supplicem. \* Et mox ad sævum dicitur judicem Alleluia.

**V.** Sed nec blandimentis separari à recta fide quivit nec tormentis. Et mox.

## LECTIO XII.

**C**onservamur autem in hoc statu, & ad hoc, ut ita dixerim, inserti quodammodo ipsi sumus, id est firmiter retinentes tradita nobis ab ipso mandata, studentesque hujus nobilitatis bonum servare. Quod fit, si Spiritum Sanctum, per quem in nobis DEUS habitat, non offendamus.

**R.** Ad pontem Anasi fluminis iussu perducitur Aquilini Præsidis: Unde facta oratione præcipitatur, sed ab unda super lapidem reclinatur. \* Ubi ab aquila Corpus ejus expansis aliis servatur. Alleluia.

**V.** Cùm ceciderit justus, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Ubi ab aquila.

Gloria Patri. Ubi ab aquila.

*Evangelium ut in eodem Comm.  
Ad Laudes &c per Horas Antiphona.  
Sancti tui Domine. cum reliquias de Communi.*

**R.** br. *Capitalum de Comm.*

## HYMNUS.

**S**Æpe Martyr verberatus,  
Uncis carnem laceratus,  
DEUM, dicens, colo Trinum,  
Confutavit Aquilinum.

Idem facis Aquiline,  
Quod prementes florem spinæ,  
Pungis, premis Sanctum florem,  
Reddit pressus flos odorem.

Nunc o! Martyr DEI chare,  
Fac nos hostes debellare,  
Impugnantes fidem Christi,  
Quam tenendo, non cessisti.

DEO Patri sit gloria,  
Et Filio, qui à mortuis  
Surrexit, ac Paraclito,  
In sempiterna sæcula.

**V.** Pretiosa in conspectu Domini. Alleluia.

**R.** Mors Sanctorum ejus. Allel.

*Ad Benedictus Antiphona.*

Dum æternæ diei aurora illuxerit, dum tuba novissima insonuerit, præclare Martyr Floriane, nos digneris adjuvare: ut gratia solis justitiae, Sanctorum perfruamur splendore. Alleluia.

*Oratio. DEUS, qui nos Beati.*  
*ut supra.*

*In secundis Vesperis Ant. Psalmi.  
Capit. R. br. de Comm. Mart. temp.  
Paschali.*

## HYMNUS.

**G**ratuletur Ecclesia,  
Nova laudum præconia,  
DEI canens cùm gratia,  
Pro Floriani gloria.

Hic

Hic apud Urbem Theciam,  
Linquens domum, familiam,  
Laureacum accelerat,  
Quà Sanctos pati noverat.

Mox à commilitonibus

Tentus, verbis, verberibus,  
Jam mulcetur, jam frangitur,  
Nec à fide reflectitur.

Hic uncis fractis scapulis,  
Vir insonis sine maculis,  
Dum jactatur in flumine,  
Tortor privatur lumine.

In petra Corpus nobile,  
Cura servatur aquilæ;  
Quod ut mandet terræ, piæ  
Martyr monet Valeriam.

Dum ad humandum ducitur,  
Jumentum siti præmitur,  
Mire tamen reficitur  
Fons novus quia funditur.

DEO Patri sit gloria,  
Et Filio, qui à mortuis  
Surrexit, ac Paraclito,  
In sempiterna sæcula.

¶. Pretiosa &c. Antiph. ad Magn.  
O florem Eden. ut in primis Ves-  
peris, & Oratio ibidem.

## DIE VIII. MAI.

In Festo S. STANISLAI  
Episcopi & Martyris. Du-  
plex i. Clas: Extra Polo-  
niam verò septima die Maji,  
ubi S. Michælis Apparitio  
octava Maji celebratur.

Ad Vesp. Antiph. Sancti tui Do-  
mine. cum reliquis de Communi Mar-  
tyrum tempore Paschali. Psalmus.

Dixit Dominus. cum reliquis de Do-  
minica.

## Capitulum. Hebr. 5.

Omnis Pontifex ex hominibus  
assumptus, pro hominibus constituitur  
in iis, quæ sunt ad DEUM, ut  
offerat dona & sacrificia pro pec-  
catis.

¶. br. Lux perpetua lucebit San-  
ctis tuis Domine \* Alleluia, Allel.  
Lux perpetua.

¶. Et æternitas temporum. Allel:  
Gloria Patri. Lux perpetua.

## HYMNUS.

Gaudie Mater Polonia,  
Prole fecunda nobili:  
Summi Regis magnalia  
Laude frequenta vigili.  
Cujus benigna gratia  
Stanislai Pontificis,  
Passionis insignia,  
Signis fulgent mirificis.  
Hic certans pro justitia,  
Regis non cedit furia:  
Stat pro plebis injuria  
Christi miles in acie.

Tyranni truculentiam  
Qui dum constanter arguit,  
Martyrii victoriam  
Membratim cæsus meruit.  
Novum pandit miraculum,  
Splendor in Sancto cœlicus;  
Reintegrat corpusculum  
Sparsum cœlestis medicus.

Sic Stanislaus Pontifex  
Transit ad cœli curiam,  
Ut apud Deum opifex  
Nobis imploret veniam.

Poscentes ejus merita  
 Salutis dona referunt:  
 Morte præventi subitō  
 Ad vitæ portum redeumt.  
 Cujus ad tactum annuli  
 Morbi fugantur turgidi,  
 Ad locum Sancti tumuli  
 Multi curantur languidi.  
 Surdis anditus redditur,  
 Claudis gressū officium,  
 Mutorum lingua solvitur,  
 Et fugatur dæmonium.  
 Ergo felix Cracovia,  
 Sacra dotata corpore,  
 DEUM, qui fecit omnia,  
 Benedic omni tempore.  
 Sit Trinitati gloria,  
 Laus, honor, jubilatio,  
 De Martyris victoria  
 Sit nobis exultatio. Amen.  
 ¶. Sancti & justi in Domino gau-  
 dete. Alleluia.  
 ¶. Vos elegit DEUS in hære-  
 ditatem sibi. Alleluia.

*Ad Magnificat Antiphona.*

O Beate Stanislae, Præsul ple-  
 bis Cracoviæ, cujus signa victoriæ  
 latè patent Poloniæ: nam dono Chri-  
 sti gratiæ pestes curantur variæ.  
 Tua Martyr egregie festa colentes  
 hodie, Regi commenda gloriæ.  
 Alleluia.

*O R A T I O.*

D EUS, pro cuius honore glorio-  
 sus Pontifex Stanislaus gladiis  
 impiorum occubuit: præsta quæsumus,  
 ut omnes, qui ejus implorant  
 auxilium, petitionis suæ salutarem  
 consequantur effectum. Per Domi-  
 num nostrum.

*Ad Matutinum. Fazitat.* Exultent  
 in Domino &c. *Hymnus.* Gaude Ma-  
 ter, ut supra, *Antiphona,* *Psalmi,*  
*Et omnia alia dicuntur de Commu-*  
*ni Martyrum tempore Paschali, ex-*  
*ceptis his, quæ hic assignantur.*

*In primo Nocturno.*

De Epistola Beati Pauli ad Hæbreos.

*L E C T I O I. Cap. I.*

O Mnis Pontifex ex hominibus as-  
 sumptus, pro hominibus con-  
 stituitur in iis, quæ sunt ad Deum,  
 ut offerat dona, & Sacrificia pro  
 peccatis: qui condolere possit iis,  
 qui ignorant & errant: quoniam &  
 ipse circumdatus est infirmitate: &  
 propterea debet, quemadmodum pro  
 populo, ita etiam & pro semetipso  
 offerre pro peccatis.

¶. Beatus vir.

*L E C T I O II.*

N EC quisquam sumit sibi hono-  
 rem, sed qui vocatur à Deo,  
 tanquam Aaron. Sic & Christus  
 non semetipsum clarificavit, ut Pon-  
 tifex fieret: sed qui locutus est ad  
 eum: Filius meus es tu, ego ho-  
 die genui te. Quemadmodum &  
 in alio loco dicit: Tu es Sacer-  
 dos in æternum, secundum ordi-  
 nen Melchisedech.

R. Tristitia vestra.

*L E C T I O III.*

Q UI in diebus carnis suæ, pre-  
 ces supplicationesque ad eum,  
 qui possit illum salvum facere à  
 morte

morte , cum clamore valido , & la-  
chrymis offerens , exauditus est pro  
sua reverentia. Et quidem cùm es-  
set Filius Dei , didicit ex iis , quæ  
passus est , obedientiam , & con-  
summatus factus est omnibus ob-  
temperantibus sibi causa salutis æter-  
næ , appellatus à Deo Pontifex juxta  
ordinem Melchisedech.

¶. Pretiosa.

## LECTIO IV.

D E quo nobis grandis sermo , &  
interpretabilis ad dicendum :  
quoniam imbecilles facti estis ad  
audiendum. Etenim cum deberetis  
Magistri esse propter tempus , rur-  
sum indigetis , ut vos doceamini ,  
quæ sint elementa exordii sermo-  
num Dei : & facti estis , quibus la-  
cte opus sit , non solido cibo. O-  
mnis enim , qui lactis est particeps ,  
expers est sermonis justitiae : par-  
vulus enim est. Perfectorum autem  
est solidus cibus ; eorum , qui pro-  
consuetudine exercitatos habent sen-  
sus ad discretionem boni & mali.

¶. De ore prudentis.

*Lectiones secundi Nocturni ut in  
Breviario VII. Maii.*

*In tertio Nocturno.*

*Lectio Sancti Evangelii se-  
cundum Joannem.*

## LECTIO IX. Cap. 10.

J N illo tempore : Dixit JESUS  
Phariseis : Ego sum Pastor boni-  
us , bonus Pastor animam suam  
dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

*De verbis Domini Sermone 50.*

A Udivimus Dominum J E S U M  
commendantem nobis bo-  
ni pastoris officium : in qua com-  
mendatione admonuit nos utique ,  
ut intelligi datur , bonos esse pasto-  
res. Et tamen ne intelligeretur  
perverso modo multitudo pastorum .  
Ego sum , inquit , Pastor bonus ,  
& unde sit Pastor bonus ? consequen-  
ter ostendit : Pastor , inquit , bo-  
nus animam suam pro ovibus po-  
nit. Pastor ergo bonus , Christus.  
Quid Petrus ? nonne bonus Pasto-  
r? nonne & ipse animam pro ovibus  
posuit ? Quid Paulus ? quid cæteri  
Apostoli ? Quid eorum tempora con-  
sequentes Beati Episcopi Martyres ?  
Quid etiam iste Sanctus Stanislaus ?  
nonne omnes pastores boni , non  
mercenarii , de quibus dicitur : A-  
men dico vobis , percepunt mer-  
cedem suam : Omnes ergo illi pa-  
stores boni , non solum , quia san-  
guinem fuderunt , sed quia pro ovi-  
bus fuderunt. Non enim fuderunt  
elatione , sed charitate.

¶. Ego sum vitis vera , & vos  
palmites. \* Qui manet in me , &  
ego in eo , hic fert fructum mul-  
tum , Alleluia , alleluia.

¶. Sicut dilexit me Pater , &  
ego dilexi vos. Qui manet.

## LECTIO X.

N Am & apud hæreticos , qui pro-  
pter iniquitates & errores su-  
os , aliquid molestiarum perpessi  
fuerunt , nomine Martyrii se jactant ;

ut

ut hoc pallio dealbati facilius fuerint, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo numero habendi sunt? Pastorem bonum Paulum Apostolum audite, quoniam non omnes, qui corpora sua in passione etiam ignibus tradunt, aestimandi sunt sanguinem fudisse non pro ovibus, sed potius contra oves. Si distribuero, inquit, omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum, ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Ecce venitur ad passionem, ecce venitur & ad sanguinis effusionem, venitur & ad corpoream incensionem, & tamen nihil prodest, quia charitas deest. Adde charitatem, prosunt omnia: detrahe charitatem, nihil prosunt cætera.

¶. Candidi facti sunt Nazaræi ejus Alleluia: splendorem Deo dederunt, Alleluia. \* Et sicut lac coagulati sunt, Alleluia, Allel.

¶. Candidiores nive, nitidiiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores. Et sicut.

## LECTIO XI.

**Q**uale bonum est charitas ista, Fratres? Quid pretiosius? Quid firmius? Quid utilius? Quid securius? Multa sunt Dei dona, quæ tamen habent & mali, qui dicturi sunt Domine, in nomine tuo prophetavimus: in nomine tuo dæmonia ejecimus: in nomine tuo virtutes multas fecimus. Non respondebit ille, non fecistis: non enim in conspectu tanti Judicis audebunt mentiri, aut jactare, quæ non fe-

cerunt; sed quia charitatem non habuerunt, respondebit omnibus illis: non novi vos.

¶. O venerandam Martyris constantiam! o prædicandam Stanislai Præsulis fidem! qua in testem veritatis Boleslai Regis sistendum Tribunalibus. \* Petrum revocavit ab inferis. Alleluia.

¶. Triennem in tumulo, deficientibus à veritate filiis hominum. Petrum.

## LECTIO XII.

**Q**uomodo autem habet vel exiguam charitatem, qui etiam convictus non amat unitatem? Hanc Dominus unitatem commendans pastoribus bonis, commendans pastores bonos, noluit multos appellare pastores. Neque enim, ut dixi jam, non erat pastor bonus Petrus, Paulus, Apostoli cæteri, & posteriores Sancti Episcopi, Beatus Stanislaus. Omnes hi Pastores boni, & tamen ille pastoribus bonis non commendavit pastores bonos, sed Pastorem bonum. Ego sum, inquit, Pastor bonus.

¶. Pastor cadit in gregis medio: dormit sponsus in sponsæ gremio: Mater plorans gaudet in filio. \* Quia vivit victor sub gladio. Alleluia.

¶. Cleri, plebisque concio, in patris natalitio, jubilet cum tripludio pro tanto beneficio. Quia vivit.

Gloria Patri. Quia vivit.

Sequentia S. Evangelii. prout in festo S. Adalberti. fol. 28.

Oratio. Deus, pro cuius honore, ut supra.

Ad

*Ad Laudes* & per horas Antiphona. Sancti tui Domine, cum reliquis de Comm. Mar. Capit. Omnis Pontifex. *R. br.* Sancti & justi. *Hymnus.* Martyr Dei. *ut in Communi.*

*R. br.* Lux perpetua. *Hymnus.* Gaude Mater Polonia. *ut supra.*  
*P. Pretiosa.*

*Ad Magnificat Antiphona.*

Vir inclyte Stanislae, vitâ, signis, passione, plebem tuam Pastor bone, fove benedictione, gubernâ protectione. salva sancta intercessione. Alleluia.

*Commemor.* S. Gregorii. *Antiph.* O! Doctor optime. *P. Amavit.* O-  
ratio. Deus, qui populo.

*Ad Benedictus Antiphona.*

Martyr Dei Stanislaus glori-  
sus Pontifex, quem occidit Boleslaus  
truculentus Princeps: Pastor bon-  
us & Patronus, adsit nobis op-  
fex, & virtutum artifex. Alleluia.

*Oratio.* Deus, pro cuius honore.  
*ut supra.*

*Ad Tertiam Capitulum.*

Omnis Pontifex. *P. Sancti & ju-*  
*sti. &c.*

*Ad Sextam Capitulum.*

Qui condolere possit iis, qui igno-  
rant & errant: quoniam & ipse cir-  
cumdatis est infirmitate. Et pro-  
pterea debet quemadmodum pro po-  
pulo, ita etiam & pro semetipso of-  
ferre pro peccatis.

*P. Lux perpetua &c.*

*Ad Nonam Capitulum.*

Talis enim decebat, ut nobis es-  
set Pontifex, Sanctus, innocens,  
impollutus, segregatus à peccato-  
ribus, & excelsior cœlis factus.

*P. Lætitia sempiterna. &c.*

*Ad Vesperas Antiphona.*

Sancti tui Domine. *cum reliquis*  
*Psalmis,* *ut in secundis Vesp.* de  
*Communi.*

*Capitulum.* Omnis Pontifex. &c.

**FERIA SEXTA.**

Post Octavam Corporis Christi

**IN FESTO**

*Ssmi CORDIS Domini N.*

**JESU CHRISTI**

*Duplex Majus.*

*Ad Vesperas Antiphona.*

Discite à me. *cum reliquis ut*  
*infra ad Laudes.*

*Psalmi.* Dixit Dominus. Confite-  
bor. Credidi. Beati omnes. *ut in*  
*primis Vesperis Corporis Christi.*

*Capitulum. Isaiae 12.*

Ecce DEUS Salvator meus fidu-  
cialiter agam, & non timebo,  
quia fortitudo mea, & laus mea  
Dominus, & factus est mihi in sa-  
lutem. Haurietis aquas in gaudio  
de fontibus Salvatoris.

*R. br.* Posuit \* fines tuos pacem.  
Posuit.

*P. Et*

¶. Et apide frumenti satiat te.  
Fines tuos. Gloria Patri. Posuit.

## HYMNUS.

**A**uctor beate sæculi,  
Christe Redemptor omnium,  
Lumen Patris de lumine,  
Deusque verus de Deo.  
Amor coégit te tuus,  
Mortale corpus sumere,  
Ut novus Adam redderes,  
Quod vetus ille abstulerat.  
Ille amor almus artifex,  
Terræ, marisque, & syderum,  
Errata Patrum miserans,  
Et nostra rumpens vincula.  
Non corde discedat tuo,  
Vis illa amoris inclyti:  
Hoc fonte gentes hauriant  
Remissionis gratiam.  
Percussum ad hoc est lancea,  
Passumque ad hoc est vulnera,  
Ut nos lavaret sordibus,  
Unda fluente & sanguine.  
Decus Parenti & Filio,  
Sanctoque sit Spiritui.  
Quibus potestas gloria,  
Regnumque in omne est sæcu-  
lum. Amen.

¶. Ignem veni mittere in terram.  
¶. Et quid volo, nisi ut accen-  
datur.

## Ad Magnificat Antiphona.

Improperium expectavit cor me-  
um & miseriam, & sustinui, qui  
simul contristaretur, & non fuit,  
& qui consolaretur, & non inveni.

## ORATIO.

**C**oncede quæsumus, Omnipo-  
tens Deus, ut qui in Sanctis-  
simi dilecti Filii tui Corde glori-  
antes, præcipua in nos Charitatis  
ejus beneficia recolimus: eorum pa-  
riter & actu delectemur, & fructu.  
Per eundem Dominum Nostrum.

*Hymni Horarum concluduntur.*

Gloria tibi Domine, qui natus  
es &c.

## Ad Matut. Invitatorium.

Christum pro nobis passum.\* Ve-  
nite adoremus.

## HYMNUS.

**E**n ut superba criminum,  
Et sæva nostrorum cohors  
Cor sauciavit innocens,  
Merentis haud tale Dei.  
Vibrantis hastam militis,  
Peccata nostra dirigunt;  
Ferrumque diræ cuspidis  
Mortale crimen acuit.

Ex Corde scisso Ecclesia  
Christo jugata nascitur;  
Hoc ostium Arcæ in latere est  
Gentis ad salutem positum.

Ex hoc perennis gratia,  
Ceu septiformis fluvius:  
Stolas ut illic sordidas,  
Lavemus Agni in Sangvine.  
Turpe est redire ad crimina,  
Quæ Cor beatum lacerent.  
Sed æmulemur cordibus,  
Flamas amoris indices.  
Hoc, Christe nobis, hoc Pater,  
Hoc Sancte dona Spiritus,  
Quibus

Quibus potestas, gloria,  
Regnumque in omne est sæ-  
colum. Amen.

### In primo Nocturno.

*Antiph.* Quid est homo? quia magnificas eum, aut quid Apponis erga eum Cor tuum. *Psalmus.* Domine Dominus Noster. *cum reliquis ut in Festo Sanctissimi Nominis JESU. Dominica 2da. post Epiph.*

*Antiph.* Meditatio Cordis mei in conspectu tuo semper. *Psalm.* Cœli enarrant gloriam Dei.

*Antiph.* Elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. *Psalm.* Domini est terra.

*Antiph.* Afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum Regis. *Psalm.* Eruerunt cor meum.

*Antiph.* Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. *Psalm.* Deus noster refugium.

*Antiph.* Sicut lætantium omnium habitatio est in te. *Psalm.* Fundamenta ejus.

*¶.* Domine dabis pacem nobis.

*¶.* Omnia enim opera nostra operatus es nobis.

De Jsaïa Propheta.

### LECTIO I. Cap. 12.

**C**onfitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus

Salvatoris. Et dicetis in die illa: Confitemini Domino, & invocate Nomen ejus, mementote, quoniam excelsum est Nomen ejus. Cantate Domino, quoniam mirificè fecit: annuntiate hoc in universa terra. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Isræl.

*¶.* Ego sum Panis vitæ: Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt. \* Hic est panis de Cœlo descendens: ut si quis ex ipso manducet, non moriatur.

*¶.* Ego sum panis vivus, qui de Cœlo descendit, si quis manducaverit, ex hoc pane vivet in æternum. Hic est.

### LECTIO II.

**J**N die illa cantabitur Canticum istud in terra Juda. Urbs fortitudinis nostræ Sion. Salvator ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur gens justa custodiens veritatem. Vetus error abiit, servabis pacem, quia in te speravimus. Sperasti in Domino sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. Quia incurvabit habitantes in excelsø, Civitatem sublimem humiliabit, & humiliabit eam usque ad terram.

*¶.* Comedetis carnes, & suturabimini panibus. \* Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum.

*¶.* Non Moyses dedit vobis panem de Cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de Cœlo verum. Iste est.

LE-

**LECTIO III.**

**S**Emita justi recta est, rectus cal-  
lis justi ad ambulandum: & in  
semita judiciorum tuorum Domine  
sustinuimus Te; Nomen tuum, &  
memoriale tuum in desiderio ani-  
mæ. Anima mea desideravit Te  
in nocte, sed & spiritu meo in præ-  
cordiis meis de mane vigilabo ad  
Te. Cùm feceris judicia tua in ter-  
ra, justitiam discent habitatores Or-  
bis.

¶. Ecce vidimus eum non ha-  
bentem speciem, neque decorem;  
aspectus ejus in eo non est: hic  
peccata nostra portavit, & pro no-  
bis dolet: ipse autem vulneratus est  
propter iniquitates nostras. \* Cujus  
livore sanati sumus.

¶. Verè languores nostros ipse  
tulit, & dolores nostros ipse por-  
tavit. Cujus.

**LECTIO IV.**

**A**Etabitur deserta & invia, & ex-  
ultabit solitudo, & florebit  
quasi lily: germinans germina-  
bit, & exultabit lætabunda, & lau-  
dans; gloria Libani data est ei,  
decor Carmeli & Saron: ipsi vide-  
bunt gloriam Domini, & decorum  
DEI nostri. Confortate manus dis-  
solutas, & genua debilia roborate;  
dicite pusillanimes: confortamini,  
& nolite timere; Ecce DEUS no-  
ster ultionum adducet retributio-  
nes. Deus ipse veniet, & salva-  
bit vos.

¶. Benedictus Dominus DEUS  
Israel, qui fecit mirabilia magna

solus. \* Et benedictum nomen ma-  
jestatis ejus in æternum.

¶. Replebitur Majestate ejus omnis  
terra, fiat, fiat. Et benedictum.

Gloria Patri. Et benedictum.

**In Secundo Nocturno.**

**A**ntiph. Annuntiate de die in di-  
em salutare ejus. Psalm. Cantate 1.  
ut in 2. Noct. fer. 6.

**A**ntiph. Adorate eum omnes An-  
geli ejus, audivit & lætata est Si-  
on. Psalm. Dominus regnavit, exul-  
tet terra.

**A**ntiph. Viderunt omnes termini ter-  
ræ salutare Dei nostri. Psalm. Can-  
tate 2. ibidem.

**A**ntiph. Sicut ablactatus est su-  
per matre sua, ita retributio in a-  
nima mea. Psalm. Domine non est  
exaltatum cor meum. ut in fer. 3.  
ad Vespertas.

**A**ntiph. Mandavit Dominus be-  
nedictionem. Psalm. Ecce quam  
bonum. ibidem.

**A**ntiph. Quoniam in æternum mi-  
sericordia ejus. Psalm. Confitemini  
Domino quoniam bonus: quoniam  
in æternum misericordia ejus. ut in  
Vesp. fer. 4.

¶. Conversus est furor tuus.

¶. Consolatus es me.

De Sermore S. Bernardi Abbatis.

**LECTIO V.**

*Serm. 3. de Pass.*

**Q**uia semel venimus ad Cor dul-  
cissimum JESU, & bonum  
est nos hic esse, ne sinamus nos  
facile avelli ab eo, de quo scri-  
ptum

ptum est : recedentes à te in terra scribentur. Quid autem accedentes ? Tu ipse doces nos : Tu dixisti accedentibus ad Te : gaudete , quia nomina vestra scripta sunt in Cœlis. Accedamus ergo ad Te , & exultabimus , & lætabimur in Te , memores Cordis tui. O ! quam bonum , & quam jucundum habitare in Corde hoc ! Quid potius dabo omnia , omnes cogitationes , & affectus mentis commutabo , jactans omnem co-  
gitatum meum in Cor Domini JESU , & sine fallacia illud me enutriat.

R. Qui manducat meam carnem & bibit meum Sanguinem. \* In me manet , & ego in eo.

V. Non est alia natio tam grandis , quæ habeat Deos appropinquantes sibi , sicut DEUS noster adest nobis. In me.

## LECTIO VI.

AD hoc templum , ad hæc Sancta Sanctorum , ad hanc Arcam Testamenti adorabo , laudabo nomen Domini , dicens cum David : invenit cor meum , ut orem Deum , ego inveni Cor Regis , Fratris , Amici , benigni JESU. Et nunquid non adorabo ? Hoc igitur Corde tuo & meo , dulcissime JESU invento , orabo Te Deum meum : admitte tantum Sacrarium exauditionis Tuæ preces meas ; imò me totum trahe in Cor Tuum. O omnium pulchritudine Speciosissime JESU ! amplius lava me ab iniustitate mea , & à peccato meo munda me , ut purificatus per Te purissi-

mum possim accedere , & in Corde tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare , & ut videre simul & facere Tuam valeam voluntatem. Ad hoc enim perforatum latus Tuum ut nobis patescat introitus.

R. Sicut ovis ad occisionem ductus est , & dum male tractaretur , non aperuit os suum , traditus est ad mortem. \* Ut vivificaret populum suum.

V. Tradidit in mortem animam suam , & inter sceleratos reputatus est. Ut vivificaret.

## LECTIO VII.

AD hoc vulneratum est Cor tuum , ut in illo , & in Te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus. Nihilominus , & propterea vulneratum est , ut per vulnus visible , vulnus amoris invisible videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest , nisi quod non solùm Corpus , verùm etiam ipsum Cor lanceâ vulnerari permisit. Carnale ergo vulnus Spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligit ? Quis illud tam amans non redamet ? Quis tam castum non amplectatur ? Nos igitur adhuc in Corpore manentes , quantum possumus , amemus , redamemus , amplectamur vulneratum nostrum , cuius impii agricolæ foderunt manus & pedes , latus & Cor ; stemusque : ut cor nostrum durum adhuc , & impoenitens amoris sui vinculō constringere , & jaculō vulnerare dignetur.

¶. In die, qua invocavi te Domine, dixisti: noli timere. \* JUDICasti causam meam, & liberasti me Domine DEUS meus.

¶. In die tribulationis meæ clamaui ad te, quia exaudisti me. JUDICasti.

### LECTIO VIII.

**Q**UAM charitatem Christi patiens, & pro generis humani Redemptione morientis, atque in suæ mortis commemorationem insituentis Sacramentum Corporis & Sanguinis sui: ut Fideles sub Sanctissimi Cordis Symbolo devotius, ac ferventiū recolant, ejusdemque fructus uberiorū percipient; Clemens XIII. Pontifex Maximus ejusdem Sanctissimi Cordis Festum quibusdam potentibus Ecclesiis celebrare permisit.

¶. Magnus Dominus, & laudabilis nimis. \* Et sapientiæ ejus non est numerus.

¶. Magnus Dominus, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est finis. Et Sapientiæ.

Gloria Patri. Et Sapientiæ.

### In Tertio Nocturno.

*Antiph.* Lætamini Cœli, & exultet terra, jubilate montes laudem, quia miserator Dominus in Sanguine suo lavit nos à peccatis.

*Canticum Isaiae 33.* Domine misere nostri. ut in Dominica.

¶. Ex Sion species decoris ejus.

¶. Deus noster manifestè veniet.

*Lectio S. Evangelii secundum Joannem.*

### LECTIO IX. c. 19. 31.

**J**N illo tempore, Judæi quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce Corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

*Tract. 120. in Ioan.*

**U**NUS Militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non dicaret, latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid, sed aperuit, ut illud quodammodo vitæ ostium pandetur, unde Sacraenta manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ille Sanguis, qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum, hæc & lavacrum præstat & potum. Hoc prænuntiabat, quod Noë in latere Arcæ ostium facere jussus est, qua intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus figurabatur Ecclesia.

¶. Misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem.\* Et qui manducat me, vivet propter me.

¶. Cibavit illum Dominus pane vitæ & intellectus. Et qui manducat.

De

De Homilia Sancti Joannis  
Chrysostomi.

## LECTIO X.

Hom. 24.

**V**ides quanti fit veritas? per ea, quæ Judæi faciunt, prophetia impletur; alias enim ex hoc manifestata est. Venerunt ergo milites, & aliorum fregerunt crura, non Christi, sed ad Judæorum gratiam conciliandam, latus ejus lancea aperuerunt, & mortuo adhuc insultant. O! pessimam voluntatem, ac scelestissimam! Noli tamen perturbari o! dilectissime, quæ enim malo illi animo patrarunt, veritati consentiebant, Prophetia hinc impleta est, inquiens: videbunt, in quem transfixerunt. Neque hoc tantum, sed non credituris fuit fidei argumentum, ut Thomæ, & qui cum eo erant. Ad hæc & arcanum Mysterium confirmatum est; exiit enim Sanguis & aqua. Non casu, & simpliciter hi fontes scaturierunt, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est.

**R.** Recessit Pastor noster, fons aquæ vivæ, ad cujus transitum Sol obscuratus est. \* Portas mortis, & seras pariter Salvator noster disruptit.

**R.** Destruxit quidem claustra inferni, & subvertit potentias diaboli. Portas mortis.

De Homilia S. Bonaventuræ Episc:

## LECTIO XI.

Lib. de Lig. Vita.

**P**orro ut de latere Christi dormientis formaretur Ecclesia,

Divina est ordinatione indultum, ut unus militum lanceâ latus sacram illud aperiendo perfoderet, quatenus Sanguine cum aqua manante, pretium effunderetur nostræ salutis, quod à fonte scilicet Cordis arcano profusum, vim daret Sacramentis Ecclesiæ, ad vitam gratiæ conferendam: essetque jam in Christo viventibus poculum fontis vivi salientis in vitam æternam.

**R.** Quis Deus magnus sicut Deus noster. \* Tu es Deus, qui facis mirabilia.

**R.** Notam fecisti in populis virtutem tuam, redemisti in brachio tuo populum tuum. Tu es.

## LECTIO XII.

**S**urge igitur anima, amica Christi, esto sicut Columba nidiificans in summo ore foraminis, illic ut passer inveniens Dominum, vigilare non cesses, ibi tanquam turtur casti amoris pullos absconde, ibi os appone, ut haurias aquas de fontibus Salvatoris. Hic enim est fons egrediens de medio Paradisi, qui in quatuor divisus capita, & in corda devota diffusus, fecundat & irrigat universam terram.

**R.** Diligam te Domine, virtus mea: Dominus firmamentum meum, \* Et refugium meum.

**R.** Liberator meus, Deus adiutor meus. Et refugium.

Gloria Patri. Et refugium.  
Te Deum laudamus.

*Sequentia Sancti Evangelii  
secundum Joannem.*

*Ioan. 19. 31.*

**I**N illo tempore: Judæi quoniam Parasceve erat, ut non remane-rent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) ro-gaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Ve-nerant ergo milites, & primi qui-dem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad JE-SUM autem cum venissent, ut vi-derunt eum jam mortuum, non fre-gerunt ejus crura, sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & conti-nuò exivit Sanguis & aqua; & qui vidiit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium ejus.

*Oratio. Concede quæsumus. ut supra.*

**A D L A U D E S.**

*& per Horas Antiphona.*

**D**iscite à me, quia mitis sum, & humilis Corde. *Psalmus. Do-minus regnavit. cum reliquis de Do-minica.*

*Antiph. Sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempi-ternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.*

*Antiph. Et dixi: Ergo sine cau-sa justificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die.*

*Antiph. Secundum multitudinem dolorum meorum in Corde meo, consolationes tuæ lœtificaverunt a-nimam meam.*

*Antiph. Pone me ut signaculum super Cor tuum, ut signaculum su-per brachium tuum.*

**C a p i t u l u m I s a i æ 1 2.**

**E**cce DEUS Salvator meus, fi-ducialiter agam, & non time-bo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gau-dio de fontibus Salvatoris.

*¶. br. Dirupisti Domine. \* Vin-cula mea. Dirupisti.*

*¶. Tibi sacrificabo hostiam lau-dis. Vincula.*

*Gloria Patri. Dirupisti Domine.*

**H Y M N U S.**

**C**or, Arca legem continens, Non servitutis veteris, Sed gratiæ, sed veniæ, Sed & misericordiæ.

**C**or Sanctuarium novi Intemeratum Fœderis, Templum vetustô Sanctius, Velumque scissum utilius.

**T**e vulneratum charitas JESU patenti voluit, Amoris invisibilis, Ut veneremur vulnera. **H**oc sub amoris invisibilis Passus cruenta & Mystica, Utrumque Sacrificium Christus Sacerdos obtulit. **Q**uis non amantem redamet? Quis non redemptus diligat?

Et Corde in isto seligat Æterna tabernacula.

Decus Parenti, & Filio, Sanctoque sit Spiritui, Quibus

Quibus potestas, gloria,  
Regnumque in omne est sæ-  
culum. Amen.

¶. Verè languores nostros ipse  
tulit.  
¶. Et dolores nostros ipse por-  
tavit.

*Ad Benedictus Antiphona.*

Vulneratus est propter iniqui-  
ties nostras; attritus est propter sce-  
lera nostra: disciplina pacis nostræ  
super eum, & livore ejus sanati-  
sumus.

*Oratio.* Concede quæsumus. *ut  
supra.*

*Ad Primam Antiphona.*

Discite à me. *Lectio brevis ut  
infra ad Nonam.*

*Ad Tertiam Antiphona.*

Sanctificavi.

*Capitulum.* Ecce Deus. *ut supra.*

¶. Posuit fines tuos pacem.

¶. Et adipe frumenti satiat te.

*Ad Sextam Antiphona.*

Et dixi:

*Capitulum Isaiae 12.*

Dicitis in illa die: Confitemini  
Domino, & invocate nomen  
ejus: mementote, quoniam excel-  
sum est nomen ejus.

¶. Dirupisti Domine vincula mea.

¶. Tibi sacrificabo hostiam laudis.

*Ad Nonam Antiphona.*

Pone me.

*Capitulum.*

Cantate Domino, quoniam miri-  
ficè fecit, annuntiate hoc in

universa terra. Exulta & lauda ha-  
bitatio Sion, quia magnus in me-  
dio tui Sanctus Isräél.

¶. Erit Dominus nominatus in  
signum æternum.

¶. Quod non auferetur.

*In Secundis Vesperis omnia ut  
in primis, præter sequentia.*

¶. Haurietis aquas in gaudio.

¶. De fontibus Salvatoris.

*Ad Magnificat Antiphona.*

Ad JESUM autem cum venis-  
sent, ut viderunt eum mortuum,  
non fregerunt ejus crura: sed unus  
militum lanceâ latus ejus aperuit,  
& continuò exivit Sanguis & aqua.

**DIE XXVII. JUNII.**

*In Festo S. Ladislai Regis  
Hung. Conf: Duplex Maj:  
in Diœcesi Vilnen: in Sa-  
mogitia verò Duplex min.*

*Omnia de Communi Confess: non  
Pontif: præter ea, quæ hic sunt  
propria.*

**O R A T I O.**

**D**EUS, qui B. Regem Ladisla-  
um Confessorem tuum diver-  
sīs decorasti miraculis, præsta quæ-  
sumus: ut ejus suffragantibus me-  
ritis ab omnibus semper muniamur  
adversis, & gaudiis perfruamur æ-  
ternis. Per Dominum Nostrum.

*Lectiones I. Noct. Beatus Vir. ut  
in Communi 2do loco:*

*In*

In secundo Nocturno.

## LECTIO V.

**L**adislaus primus hujus nominis Hungariæ Rex, Belà primò ex Filia Regis Poloniæ prognatus, cunctis animi & corporis dotibus fuit ornatissimus, Regale solium invitum concedit; Salomonem enim præferri optabat: cui & postea sibi pius cedere volens, à Proceribus Regni fuit prohibitus. Creatus in Regem, omnia boni Principis officia explevit: beneficentia in egenos, comitate, justitiâ, ac liberalitate eminebat.

R. Honestum fecit.

## LECTIO VI.

**P**ræsentissimis vitæ suæ periculis subditos ab immani barbararum gentium populatione vindicavit, fusis non una vice Cumano-rum agminibûs. Dalmatiam & Croatiam Regno Hungariæ adjunxit, volente id Sorore ipsius, quæ rerum potiebatur, maritò vita functo. Regis virtutes Christianæ pietatis opera excellebant. Postquam enim DEI monitu ad Chrysium fluvium Basilicam DEI Genitricis erexisset, oppidoque Varadino munivisset, totum se deinceps ad cultum Religionis amplificandum convertit. Episcopatus amplissimos, Monasteria, Templaque magnifica construxit; Regiaque munificentia dotata auxit.

R. Amavit eum.

## LECTIO VII.

**D**ivinarum rerum contemplationi Rex Sanctus ita deditus erat: ut interdum in æra sublimis rape-retur, nimioque circumfusus splen-dore Varadini in Templo à suis quandoque conspiceretur. Adver-sus Tartaros bellum gerens, cùm fugientes barbari, ut militem S. Regis ab inseguendo distinerent, ingentem pecuniæ vim dolosè spar-sissent; Ladislai precibus pecunia omnis in lapidem commutari visa est. Exercitui suo victus inopiâ laboranti, fusis ad Deum precibus cervorum & bubalorum gregem im-petravit. Fontes etiam aquæ re-centis è saxis ad restinguendam su-orum sitim pari modo à Deo obti-nuit. Voverat pius Rex profectio-nem cum validis copiis ad terram Sanctam à sævissimis Christiani no-minis hostibus vindicandam. Sed Sancta mors pios conatus ante-vertit. Eum igitur anno salutis mil-lesimô nonagesimô quintô ex vita sublatum, universa Hungaria integrô trienniô veste pulla & squallida luxit, choreis, omnique musicô in-strumentô per id tempus relegatis.

R. Iste homo perfecit omnia.

## LECTIO VIII.

**L**ocum sepulturæ in Ecclesia Va-radinensi à se constructa ipse sibi delegerat. Quò cùm Sacrum Corpus deveheretur: fessi labore ministri, ut somno vires reficerent, substiterant: vectoribûs igitur dor-mientibûs currus, in quo colloca-tum

tum erat sacrum pignus, sine ulius jumenti adminiculo, tam rapidis rotis Varadinum defert Corpus, ut ab excitatis vectoribus assequi nequiverit. Ipsa sepulturæ tempore, cum quidam ejus Corpus fætere dixisset, os in tergum rectorqueri repente sensit, sed poenitentiâ ductus, S. Regis opem implorans, pristinæ sanitati restituitur. Multi præterea cæci, muti, ac morbis fatigati ad Sepulchrum S. Regis sanitatem receperunt. Quibus rebūs permotus Cælestinus III. ipsum in Sanctorum numerum adscripsit.

R. Desiderium animæ.

*In III. Noct. Lectio: ex Festo S. Ludovici Regis Conf: 25. Aug:*

## DIE III. JULII.

*In Festo S. Theobaldi Conf: Duplex.*

### ORATIO.

DEUS, qui Beatum Theobaldum Confessorem tuum terrena quæque solitariæ, & poenitentiæ vitae postponere, tibique soli adhærere docuisti: concede propitius, ut ejus intercessione & exemplo, à mundi consortio segregati, dignos poenitentiæ fructus faciamus. Per Dominum nostrum.

*In I. Noct: Lectiones. Justus. de Comm. Conf. non Pontif.*

*In secundo Nocturno.*

### LECTIO V.

THEOBALDUS Paterno, Maternoque genere Comitum Campa-

niæ clarus, sacerdôlō ineunte undecimô natus est in Castro Pruvini Diœcesis Senonensis, cælitùs antea præmonstratô futuræ Sanctitatis auspiciô. In opulenta domo profanos non hausit spiritus, sed primo ad Christianam pietatem impetu cogitavit amplecti Anachoreticæ vitæ institutum, quod imitari interim studuit, continentia morum, summaque in victu cultuque frugalitate. Adolescens petendæ soliditudinis consilium primùm aperuit pio Eremitæ in Sequanæ fluminis Insula Deo servienti, à quo in sancto proposito confirmatus, egressus est è domo paterna cum Gualtero milite suo, singulisque eorum armigeris, tanquam positurus rei bellicæ tyroicum. His verò, præter Gualterium agendæ rei consicum, in itinere dimissis, pretiosam vestem cum vili pauperis sacco commutavit; nudisque pedibûs adiit Petingum Vicum agri Trevirensis, ubi sibi, Socioque ad tuendam vitam necessaria comparavit labore agresti quām maximè duro ac severo, sed ea spe recreatus, quod in novis poenitentiæ castris überiora, & perpetuò mansura, Christianæ militiæ stipendia mereret.

R. Honestum fecit.

### LECTIO VI.

Postquam in hoc aspero vitæ genero plura dedit admirabilis poenitentiæ testimonia, ex occulto pietatis instinctu peregrinari cœpit eodem comite Gualterio, nudisque pedibus & victu emendicato, Ædem pri-

primitum Compostellanam adiit, deinde limina Apostolorum, trajecturus etiam ab ora Adriatici in Palestinam, nisi vires ab itinere attritae, & vulnera peregrinanti per insidias inflictæ prohibuissent. Redux è Venetorum finibus, & circumiacentia Italiæ loca percurrentes substituit tandem in Salanicæ nemore ditionis Vicentinæ, in quo Sanctum Romualdum unâ cum Discipulis delituisse vetus perhibet traditio. Hic per biennium cœlestium contemplationi vacans, Sanctaque paupertatis, & poenitentiae studiō incensus, egens, ac squallidus carnem domuit omni cruciatu, sed imprimis abstinentiâ, quam adeò coluit, ut ab usu panis etiam hordeacei sibi duxerit temperandum.

¶. Amavit eum Dominus.

### LECTIO VII.

Vita subinde functo Gualterio, novisque sibi additis penitentis vitæ Sociis, Eremiticæ Institutionis ducem & moderatorem nactus est pientissimum Virum Cœnobii Vangaticensis Abbatem, ejusque consilio erectus à Syndicherio Episcopo Vicentino Sacerdotalis consecrationis honore donatus est. Repetitâ Eremo Salanicensi dulcissimoquo æqualium restitutus Conturbanio, singulari divinæ gratiæ præsidiō ad omnem virtutem sese exercuit, nec constanti ejusdem poenitentiae ardore ullis mundi artibus, & dæmonis insidiis potuit divelli. Ejus sanctitati tribuendum est, quod

matrem lectissimam fæminam, è Gallia ad eandem Eremum divertentem, exemplô suô ad pœnitentis, & Anachoreticæ vitæ institutum amplectendum adduxerit.

¶. Iste homo perfecit.

### LECTIO VIII.

Bennio antequam è vita migraret, putri per totum corpus serpente ulcere, valetudinis dispendia patientissimè toleravit, extremoque suæ vitæ annô ab eodem Petro Abate Monastico habitu est insignitus. Fractus tandem laboribûs, & jam moriturus, Matre ac Sociis commendatis Abbat Petro Monasticæ disciplinæ retinentissimo, vultu ac mente in spem futurorum compositis, piè efflavit animam. Sacræ ejusdem exuviae conditæ primùm sunt in Ecclesia Cathedrali Vicentina, ubi adhuc extat Ara Deo in ejus honorem erecta, deinde ad Monasterium Sanctæ Mariæ de Vangatica Ordinis Camaldulensis translatae. Miraculis ante & post obitum claruit, quibus ritè cognitis ab Alexandro III. Sanctorum Albo adscriptus fuit.

¶. Desiderium animæ.

In III. Nocturno Hom. in Evang. Nolite timere. de eodem Comm.

DIE.

D I E . IV . JULII .

*In Festo S. Josephi Calasantii Confes: Duplex.*

*Omnia de Comm: Conf: non Pontif.  
præter ea, quæ sequuntur.*

*In Hymno. Iste Confessor. mu-  
tratur tertius Versus.*

O R A T I O .

DEUS, qui per Sanctum Josephum Confessorem tuum, ad erudiendam Spiritu intelligentiæ ac pietatis juventutem, novum Ecclesiæ tuz subsidium providere dignatus es: præsta quæsumus, nos ejus exemplo & intercessione ita facere & docere, ut præmia consequamur æterna. Per Dominum nostrum.

*In I. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.*

*In secundo Nocturno.*

L E C T I O . V .

Iosephus Calasantius à Matre Dei, Petraltae in Aragonia nobili genere natus, à teneris annis futuræ in pueros charitatis & eorum institutionis indicia præbuit. Nam adhuc parvulus eos ad se convocatos in Mysteris Fidei & Sacris precibus erudiebat. Humanis divinisq; literis egregiè doctus, cùm studiis Theologicis Valentiæ operam daret, nobilis potentisque fæminæ illecebris fortiter superatîs, virginitatem, quam Deo voverat, inoffensam insigni victoriâ servavit. Sa-

cerdos ex voto factus, à compluribus Episcopis in Castellæ Novæ, Aragoniæ & Catalaunia Regnis, in partem laboris adscitus, expectationem omnium vicit, pravis ubique moribûs emendatîs, Ecclesiasticâ disciplinâ restitutâ, inimiciis cruentisq; factionibûs misericè extinctis. At cœlesti visione, & Dei voce frequenter admonitus, Romam profectus est.

R. Honestum fecit.

L E C T I O . VI .

IN Urbe summa vitæ asperitate, vigiliis & jejunis corpus affligenſ, in orationibus, & cœlestium rerum contemplatione dies noctesque versabatur, septem ejusdem Urbis Ecclesias singulis ferè noctibus obire solitus: quem inde morum complures annos servavit. Datō piis sodalitatibus nomine, mirum quanto ardore pauperes, infirmos potissimum, aut carceribus detentos, eleemosynis, omnique pietatis officio sublevaret. Lue Urbem depopulante, unà cum S. Camillo, tanto fuit actus impetu charitatis, ut præter subsidia ægrotis, pauperibus large collata, ipse etiam defunctorum cadavera suis humeris tumulanda transferret.

R. Amavit eum Dominus.

L E C T I O . VII .

VERUM cum divinitus accepisset, se ad informandos intelligentiæ ac pietatis spiritu adolescentulos, præcipue pauperes, destinari; Ordinem

Ordinem Clericorum Regularium pauperum Matris Dei Scholarum Piarum fundavit, qui peculiarem curam circa puerorum eruditionem ex proprio instituto profiterentur. Ipsumque Ordinem à Clemente Octavo, Paulo Quinto, aliisque Summis Pontificibus magnopere probatum, brevi tempore per plurimas Europæ Provincias, & Regna mirabiliter propagavit. In hoc autem tot labores perpessus est, ac tot erumnas invictō animō toleravit, ut omnium voce miraculum fortitudinis & Sancti Jobi exemplum diceretur.

*R. Iste homo perfecit.*

## LECTIO VIII.

**Q**UAMVIS Ordini universo præset, totisque viribus ad animarum salutem incumbaret, nunquam tamen intermisit pueros, præsertim pauperiores, erudire, quorum scholas verrere, eosque domum comitari consuevit. In eo summæ patientiæ & humilitatis munere, valetudine etiam infirma, duos & quinquaginta annos perseveravit: dignus propterea, quem crebris Deu-miraculis coram Discipulis illustraret, & cui Beatissima Virgo cum puerō JESU illis orantibus benedicente appareret. Amplissimis interim dignitatibus repudiatis, prophetiā abdita cordium, & absentia cognoscendi, donis & miraculis clarus, Deiparæ Virginis, quam singulari pietate & ipse ab infantia coluit, & suis maximè commendavit, aliorumque Cœlitum frequenti-

apparitione dignatus, cum obitus sui diem, & Ordinis tunc propè eversi restitutionem, atque incrementum prænuntiasset, secundum & nonagesimum annum agens Romæ obdormivit in Domino, Octavo Kalendas Septembbris Anno millesimō sexcentesimō quadragesimō octavō. Ejus Cor & lingua post sæculum integra & incorrupta reperta sunt. Ipse vero multis post obitum quoque signis à Deo illustratus, primū à Benedicto Decimo quarto, Beatorum cultu decoratus fuit, ac deinde à Clemente Decimo tertio, inter Sanctos solemniter est relatus.

*R. Desiderium animæ.*

## *In III. Nocturno.*

### *Lectio Sancti Evangelii secundum Mathæum.*

## LECTIO IX. Cap: 18.

**I**N illo tempore: Accesserunt Discipuli ad JESUM dicentes: Quis putas, major est in Regno Cœlorum. Et reliqua.

*Homilia S. Joannis Chrysostomi.*

*In Cap. 18. Math. Homil. 60.*

**V**idete, ne aliquem istorum contempseritis parvulorum, quia eorum Angeli Patris mei faciem semper aspiciunt, & quia ego propter eos veni, & hæc Patris mei voluntas est. Ad tuendos conservandosque pusillos diligentiores nos reddit. Perspicis, quæm ingentia in-

*tute-*

tutel  
& qu  
beat  
prem  
tuit,  
merc  
susci  
Patri  
*R.*

D  
omitt  
milia  
sed s  
opus  
abjec  
dum  
nobis  
videa  
lute t  
videa  
taque  
mam  
peperi  
*R.*

SI  
q  
oport  
sidera  
vamu  
respon  
lutis  
*R.*

tutelam tenuium mænia exeredit,  
& quantum studium, curamque ha-  
beat, ne perdantur; tum quia su-  
premas despicientibus eos poenas sta-  
tuit, tum quia summam pollicetur  
mercedem his, qui curam eorum  
suscipiunt, idque tam suo, quæm  
Patris exemplo corroborat.

R. Iste est, qui ante Deum.

### LECTIO X.

Dominum igitur etiam nos imi-  
temur, & nihil pro Fratribus  
omittamus, etiam eorum, quæ hu-  
milia, viliaque nimiū videntur,  
sed si administratione nostra etiam  
opus fuerit, quamvis tenuis, atque  
abjectus quidem, cui administran-  
dum sit, fuerit, quamvis ardua  
nobis res, atque laboris plena esse  
videatur; omnia hæc pro fratribus sa-  
lute tolerabiliora, facilioraque, oro,  
videantur. Tanto enim studio, tan-  
taque cura Deus dignam esse ani-  
mam ostendit, ut neque Filio suo  
pepercerit.

R. Sint lumbi vestri.

### LECTIO XI.

SI non est nobis satis ad salutem,  
quod virtuosè ipsi vivamus, sed  
oportet aliorum salutem re ipsa de-  
siderare, cùm neque nos rectè vi-  
vamus, neque alios hortemur, quid  
respondebimus? quæ nobis spes sa-  
lutis reliqua erit.

R. Beatus Vir.

### LECTIO XII.

Quid majus, quæm animis mo-  
derari, quæm adolescentulorum  
fingere mores? Omni certè pictore,  
omni certè statuario, ceterisque hu-  
jusmodi omnibus excellentiorem  
huic duco, qui juvenum animos  
fingere non ignoret.

R. O! Beati Viri.

### Sequentia S. Evangelii se- cundùm Mathæum. c. 18.

IN illo tempore, Accesserunt Di-  
scipuli ad JESUM dicentes: Quis  
putas major est in Regno Cœlo-  
rum. Et advocans JESUS parvul-  
lum, statuit eum in medio eorum,  
& dixit: Amen dico vobis, nisi  
conversi fueritis, & efficiamini si-  
cūt parvuli, non intrabitis in Re-  
gnū Cœlorum. Quicunque enim  
humiliaverit se sicut parvulus iste,  
hic major est in Regno Cœlorum.  
Et qui suscepit unum parvulum  
talem in nomine meo, me suscipit.  
Oratio. Deus, qui per Sanctum. ut  
supra. Missa propria. Venite filii &c.

### DOMINICA PROXIMA

Post Octavam SS.AA. Petri & Pauli.

In Festo S. Joannis de Dukla  
Conf. Duplex i. Glassis.

Omnia de Comm. Conf. non Pontif:  
præter ea, quæ sequuntur.

### ORATIO.

DEUS, qui Beatum Joannem Con-  
fessorem tuum eximiae humili-  
tatis & patientiæ donis decorasti:

concede propitius, ut ejusdem imitantes exempla consequamur & præmia. Per Dominum.

*In I. Nocturno Læctiones. Beatus Vir. ut in Comm. Conf. non Pontif. 2do loco.*

*In secundo Nocturno.*

## LECTIO V.

**I**oannes in Oppido Dukla Poloniae Regni honestis Parentibus natus, ab infantia futuræ Sanctimoniaz non obscura præbuit indicia, Divina siquidem Benedictione præventus, nihil ab uberibus Matris suæ in ore frequentius, quam Sacrosancta JESU & MARIAE Nominæ habere consuevit.

R. Honestum fecit.

## LECTIO VI.

**C**hristianæ perfectionis desideriò incensus adhuc adolescens Regulam Sancti Patris Francisci apud Minores Conventuales professus est, eo successu, ut una cum ætate, creverit etiam in eo eminentissimarum virtutum exercitatio, & ob singularem humilitatem, gravitatem morum, & effusam in omnes charitatem, Fratribus evaserit acceptissimus. Ad Religionis munia inventus maximè idoneus. Pluribus Cænobiis ex obedientia præfuit, & Leopolitanam Custodiam summa cum laude administravit.

R. Amavit eum Dominus.

## LECTIO VII.

**A** Sancto Joanne à Capistrano, per Casimirum Regem sub id temporis in Poloniam evocato, Fratribus Minorum de Observantia adscriptus, præconceptam sui expectationem abunde cumulavit. Nam orationi, & Cœlestium rerum contemplationi acrius insistere, erga Fratres ac proximos nullum charitatis officium prætermittere in deliciis habuit. Regularis Observantiae adeò Zelator extitit, ut non sine lachrymis vel minimam negligi Sanctæ Institutionis partem animadverteret, eoque vel uno libello ditissimus illum fere quotidie aut ipse per se legeret, aut ab alio sibi perlegi oblectaretur. Nihil illo tolerantiū in laboribus, in vigiliis, & voluntaria corporis afflictione, nihil continentius in victu & vestitu fuit. Beatam Virginem MARIAM singulari prosequebatur devotionis affectu. Ad hæc mirificam dissidentes componendi gratiam, insignem castitatem, & alacrem addidit obedientiam.

R. Jste homo perfecit.

## LECTIO VIII.

**P**rædicationis vim & efficaciam ad profectum attulit animarum, maximè in Ruthenis Schismaticis, & Armenis confutandis, quos ad Catholicæ Fidei unionem revocare omni ope sategit. A cœlestis vitæ tramite aberrantes, quamvis ex diutino morbo captus oculis, qua concionibüs, qua Sacrî Confessionibüs

būs audiendis, in rectam viam reducere nunquam destitit. Demum Septuagenarius gravium infirmitatum doloribūs eximia patientia toleratīs, munitus Ecclesiæ Sacramentis, & Psalmis Pænitentialibus recitatis Leopoli ipso die Festo S. Michaélis Archangeli obdormivit in Domino, Anno millesimō quadragesimō quartō. Ejus vitæ, atq; obitus Sanctimonia, & miraculorum fama apud Polonos præsertim & Lithuanos magno semper in honore fuit. Quare Summus Pontifex Clemens XII. Beati Joannis cultum ratum habuit, ipsumque à Polonis & Lithuanis inter primarios Patronos allectum, ampliori veneratione coli in posterum, Apostolica benignitate concessit.

R. Desiderium animæ.

*In tertio Nocturno.**Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam. c. 12.*

IN illo tempore: dixit JESUS Discipulis suis: nolite timere pusillus gress. Et reliqua.

Homilia S. Petri Chrysologi Episc.

### LECTIO IX.

**H**odie Dominus Evangelici gregis pusilla & tenera primordia, quām blanda exhortatione sit consolatus, audistis. Nolite timere, inquit, pusillus gress, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum. Aufert spes anxias, dubios

tollit eventus, omnemque propellit & excludit timorem, quando in exordio ipsum regnum nascentibus pollicetur; Quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum.

R. Iste est, qui ante.

### LECTIO X.

**Q**uis de fructu, quis de vestitu, quis de plebeo censu, & vernalis cespitis vilitate suspirat, de regno certus, de dominatione securus, satis sibi invidet, qui elevatus ad summa, se ad humilia deicit, ad genea deponit.

R. Sint lumbi vestri.

### LECTIO XI.

**S**ed scire convenit, Pater iste quis est? vel qualis est? vel quod regnum filii suis repromittit? Quis sit iste Pater? quotidie te confitente cognoscis, cūm clamas: Pater noster, qui es in Cœlis: qualis autem sit, ipsa operum magnitudine prævidisti: ex nihilo fecit Cœlum, terram solidavit ex liquido, montes stauit ad stateram, maria inter legitimos terminos sola præcepti auctoritate conclusit. Verū si regni, quod promittit pusillis, desideras noscere qualitatem, ipse aperit, sic dicendo: sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum Cœlorum.

R. Beatus Vir.

### LECTIO

## LECTIO XII.

**E**sse in Cœlo, mirum est, in Cœlo vivere est majestatis; regnare in Cœlo, quanti sit, sensus desinit aestimare mortalis, & tamen homo quod aestimare non potes, percepisti, Apostolo sic dicente: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus diligenteribus se. Et quod te mereri dubitas, habere te & possidere, jam cogeris confiteri. Quid ergo cum terra illi, qui possidet Cœlum? quid illi cum humanis, qui adeptus est jam divina? nisi forte placent gemitus, eliguntur labores, amantur pericula, pessima mors delectat, & illata mala bonis sunt gratiora collatis.

R. O! Beati Viri.

*Evangelium ut in eodem Comm.  
2do loco. Missa. Os justi. de Comm.  
primo loco.*

## DIE XIII. JULII.

*In Festo S. Margaritæ Virginis & Martyris. Duplex.  
Omnia de Communi Virginum, præter  
ea, quæ sequuntur.*

*Oratio. Indulgentiam. ut in Comm.*

*In primo Nocturno Lectiones.*

Confitebor tibi Domine Rex.

*In secundo Nocturno.*

## LECTIO V.

*Ex his, quæ sunt apud Laur: Surium.*

**B**eata Margarita ex Antiochia Pisidiæ oriunda, Filia fuit Æde-

sii, qui fuit illis temporibus vel maximè insignis Sacerdos idolorum. Cujus eximia pulchritudine cum captus esset Olibrius Præses Orientis, ita ut eam uxorem ducere haberet in animo, deprehensa quod Christiana esset, & nullò modò ejus in Christum Fidei rationem posset flectere aut emollire, blanditiis variis, deinde tormentis eam est aggressus.

R. Propter veritatem.

## LECTIO VI.

**I**Taque Virgo Sancta humi extensis primò virgis immisericorditer cassa est: deinde cum irâ ebulliisset Olibrius, ferreis etiam laminis conclusa, & clavis affixa, ferreis laniata est fuscinis, ac sic in carcerem ducta. Ubi ipsa orante, repenteque magno terræ motu excitato, diabolum susceptâ formâ terribilis draconis eam circumcurrentis signo crucis superavit, ac simul de cœlo à plagis omnino fuit curata.

R. Dilexisti.

## LECTIO VII.

**S**Equenti die impius Præses ad se vocatae, & in sententia persistenti jubet, ut nudatae lampadibus pectus uratur & latera, ac deinde de ligno deposita in magnum lebetem aqua plenum vincta conjiciatur, ac sic suffocetur.

R. Afferentur Regi.

## LECTIO

## LECTIO VIII.

**U**Ndē cum nihilominus salva e-  
vasisset, cum ea, quæ expli-  
cari non potest, exultatione laudans  
Trinitatem; tandem ab impio O-  
librio pronuntiatâ in eam capitis  
sententia pulchre decertationis suæ  
cursum peregit.

R. Prudentes Virgines.

*In III. Nocturno Homilia in E-  
vangelium. Simile est Regnum Cœ-  
lorum thesauro. de Communi nec  
Virginum nec Martyrum.*

R. ix. Hæc est Virgo sapiens.

R. x. Media nocte.

R. xi. Induit me Dominus.

R. xii. Simile est regnum Cœlo-  
rum.

## DIE XV. JULII.

*In Festo Divisionis Sancto-  
rum Apostolorum. Du-  
plex majus.*

*Omnia de Com Apostolorum, præter  
ea, quæ hic assignantur.*

*Ad Vesperas, Antiphona.*

Hoc est præceptum. cum reliquis  
de Laud. Psalmi de Dominica.

*Capitulum. Fratres, jam non es-  
tis hospites. R. br. Constitues eos.  
Hymnus. Exultet.*

R. In omnem terram exivit so-  
nus eorum.

R. Et in fines orbis terræ verba  
eorum.

## Ad Magnificat, Antiph:

Euntes in mundum universum  
prædicate Evangelium omni crea-  
turæ, alleluia: qui crediderit & ba-  
ptizatus fuerit, salvus erit, allel:  
qui autem non crediderit, conde-  
mnabitur, alleluia.

## O R A T I O.

**D**EUS, qui Ecclesiam tuam di-  
stributam per orbem terrarum  
Sanctorum Apostolorum prædicati-  
one fundasti: concede propitius, ut  
quorum hodierna die sub una cele-  
britate recolimus insignia, eorum  
in cunctis necessitatibus nostris ex-  
periamur suffragia. Per Dominum  
nostrum.

*Lectiones I. Noct. Sic nos exi-  
stimet homo. de Comm. Apost. nisi  
ocurrant dicenda de Dominica præ-  
cedenti.*

## In secundo Nocturno.

Sermo S. Joannis Chrisostomi.

I. de Pentec: tom: 3.

## LECTIO V.

**Q**uæ sunt tales stellæ, sicut A-  
postoli? Stellæ in Cœlo: A-  
postoli super cœlos. Quæ sursum  
sunt, inquit Apostolus, sapite, u-  
bi Christus est in dextra Patris se-  
dens. Stellæ de igne insensibili:  
Apostoli de igne intelligibili. Stel-  
læ in nocte lucent, in die obscu-  
rantur; Apostoli in die & in nocte  
suis radiis, hoc est virtutib⁹ efful-  
gent. Stellæ orto sole obscurantur,  
Apostoli

Apostoli Sole Justitiae resplendente sub claritate lucescunt. Stellæ in resurrectione cadent sicut folia: Apostoli in resurrectione rapientur in aëra nubibus: Et in illis quidem sideribus alias Antifer, alias Lucifer appellatur: in Apostolis autem nullus Antifer est, omnes Luciferi: & ideo stellis majores Apostoli. Et quicunque eos luminaria vocaverit mundi, non peccabit: non solum dum essent in corpore, sed etiam magis nunc, quando de hac vita migrarunt.

R. Vidi conjunctos.

## LECTIO VI.

**P**eragrarunt pescatores orbem terrarum: & infirmum eum invenerentes, ad sanitatem reduxerunt, & in ruina positum ad stabilitatem revocaverunt, non scuta moventes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecunias largientes, non eloquentiae confidentes. Et erant nudi quidem sæculo, sed induit Christum pauperes, sed divites; pecunia indigentes, sed regnum Cœlorum possidentes. Non habentes humana solatia, habentes autem Dominum suum. Ego enim, inquit, vobiscum sum omnibus diebus, usq; ad consummationem sæculi.

R. Beati estis.

## LECTIO VII.

**P**eragrarunt universum orbem terrarum oves simul cum lupis. Quis vidit? quis audivit? Dicit: mittam vos ut oves in medio lu-

porum. Quis unquam Pastor oves mittit in medio luporum? sed magis si viderit lupos, congregat oves. At verò Christus è contrario fecit: oves ad lupos direxit, & vulneratae à bestiis non sunt, sed magis lupi ad ovium mansuetudinem sunt conversi.

R. Isti sunt.

## LECTIO VIII.

**U**bi sunt nunc, qui audeant Ecclesiæ contraire? quando novella erat, in nullo potuit lædi; & nunc, quando usque ad Cœlum pervenit, existimas eam posse superari? Et tunc quidem, cum undecim essent Apostoli, nullus eos superare potuit, sed pauci homines totum ceperunt mundum: & nunc quando terra & mare, & orbis, & inhabitabiles regiones, & civitates, & omnes fines terræ pietate repleti sunt, putas eam te posse lædere? sed non poteris. Christus enim propter eam passus est, portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Facilius Cœlum exterminari potest, & terra perire, quam aliquid mali pati Ecclesia.

R. Constitues eos.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

## LECTIO IX. Cap. 9.

**I**n illo tempore: Convocatis JE-SUS duodecim Apostolis, dedit illis

illis  
omnia  
curare

Homil

B  
a  
atque  
sicut  
rem,  
stolis  
ut cu  
omne

R.

S  
ed  
cipere  
testat  
faciun  
tutem  
in no

R.

E  
tasse  
bus i  
Cœlo  
mūm  
misit  
prom  
retur  
fidem  
sa:  
præd

R.

illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Præsb.

**B**enignus & Clemens Dominus ac Magister non invidet servis atque Discipulis virtutes suas. Et sicut ipse curaverat omnem languorem, & omnem infirmitatem; Apostolis quoque suis tribuit potestatem, ut curarent omnem infirmitatem, omnemque languorem.

*R. Isti sunt, qui viventes.*

### LECTIO X.

**S**ed multa distantia est inter habere & tribuere, donare & accipere. Iste quocunque agit, potestate Domini agit: illi si quid faciunt, imbecillitatem suam, & virtutem Domini confitentur dicentes: in nomine JESU surge & ambula.

*R. Isti sunt Viri Sancti.*

### LECTIO XI.

**E**t misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos. Fortasse enim nemo crederet hominibus illiteratis promittentibus regna Cœlorum. Ideo concessit illis primum potestatem signorum; & tunc misit prædicare regnum Dei, ut promissorum magnitudinem attestaretur etiam magnitudo factorum; fidemque daret verbis virtus ostensa: & nova facerent, qui nova prædicarent.

*R. Qui sunt isti.*

### LECTIO XII.

**V**erū signa quæ tunc per Apostolos corporaliter fiebant, quotidie in Sancta Ecclesia per Sanctos Prædicatores spiritualiter fiunt. Cum in Fide quis infirmus, eorum prædicatione robatur ad Fidem: cum mortuus quis in peccatis, gratia & misericordia Dei compunctus, per eorum eruditionem resuscitatur, ad pœnitentiam & confessionem peccatorum suorum, dignaque emendatione vitam merebitur sempiternam.

*R. Ite in orbem universum, & prædicate dicentes: \* Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.*

*R. Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit.*

Gloria Patri. Qui crediderit.

### Sequentia S. Evangelii secundum Lucam. C. 9.

**I**n illo tempore: Convocatis IESUS duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos. Et ait ad illos: nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis: Et in quamcunque domum intraveritis, ibi manete, & inde ne exeat. Et quicunque non receperint vos; exentes de Civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in

in testimonium supra illos. Egressi autem circuibant per Castella Evangelizantes & curantes ubique.

*Oratio.* Deus, qui Ecclesiam tuam. ut supra.

### Ad Benedictus Antiphona.

Convocatis JESUS duodecim Apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent.

### In 2dis Vesp: ad Mag: Ant:

Egressi duodecim Apostoli, circuibant per Castella, Evangelizantes & prædicantes ubique.

### DIE XVI. JULII.

### In Festo SS. Andreæ ac Benedicti Martyrum. Duplex 2dæ Clas:

*Omnia de Comm. plurim. Martyr. preter ea, quæ sequuntur,*

### ORATIO.

DEUS, qui nos concedis Sanctorum Martyrum tuorum Andreæ & Benedicti natalitia colere: danobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum nostrum.

### In I. Nocturno Lectiones.

Fratres, debitores sumus. *de eod. Comm.*

### In secundo Nocturno.

### LECTIO V.

Sancus Andreas Suiradus, quem alii Zoérardum nominant, ex Po-

loniæ Provincia ortus, Christiana Religione tum primum in Polonia & Hungaria florente, vitam Monasticam in Cænobio Zabor dicto, apud Nitriam Civitatem, sub Philippo Abbe professus est. Mira illius Viri abstinentia, carnisque mortificatio prædicatur: quippe qui præter triduanam frequentem inediā, Quadragesimam quoque Solis quadraginta nucibūs contentus transigeret: nihilominus tamen interdiu operaretur, noctu vero vix quidquam quietis caperet. Sedenti enim juxta spineam sepem somnus erat, lumbisque catenā occulta ærea præcinctis.

*R. Sancti tui Domine.*

### LECTIO VI.

Verumtamen in tanta ciborum parcitate, nunquam ab elaboratione cessavit: sed accepta securi solitarium Sylvæ penetrabat recessum, ibidemque tamdiu in opere persistebat, quoad nimio labore fractus, humi laberetur. Accidit autem, ut die quodam sic instar mortui jaceret, cumque dubio procul, ab omni humano solatio destitutus, extremum spiritum edidisset; tum ecce subito juvenis eximio præfulgens candore, qui eum vehiculo impositum ad cellam perduxit, ac protinus evanuit: tum vero Andreas, ut collectis viribüs cognovit benignâ Dei misericordiâ tanto periculo se esse liberatum, exultare & gratias agere cœpit; Benedictum suum Discipulum, ne antediem obitūs sui rem admirabilem

istiana  
colonia  
Mona-  
dicto,  
o Phi-  
Mira  
nisque  
ope qui  
n ineq-  
ue So-  
tentus  
en in-  
rò vix  
sedenti  
omnus  
ita &-

lem promulgaret, juramentō ob-  
strinxit.

¶. Verbera carnificum.

## LECTIO VII.

Cum jam extremus immineret  
vitæ dies, tum Andreas illis,  
qui eum circumstabant, præcepit,  
ne quid vestimentorum, quibus o-  
periebatur, auferrent, usque dum  
Abbas ipse Philippus, qui accersi-  
tus expectabatur, adesset. Abbas  
autem eō defunctō adveniens, ut  
primum Sacrum corpus de more la-  
vandum attigit, catenam æneam  
ipsis visceribus penitus inhærentem  
invenit. Prorsus quidem hoc Mar-  
tyrii genus occultum mansisset, ni-  
si ad umbilicum ligati nodus ap-  
paruissest metalli. Soluta vero ca-  
tena dum ex corpore trahebatur,  
costarum sonus elisarum omnium  
aures cum horrore replebat.

¶. Tanquam aurum.

## LECTIO VIII.

Andreae in hujusmodi sanctis e-  
xercitiis defuncto, Benedictus  
ejus Discipulus genere itidem Po-  
lonus successit: Magistrique mo-  
res & vitam imitatus, triennio su-  
pervixit. A latronibus denique spe  
inveniendæ pecuniæ trucidatus, &  
in flumen proximum Vagum no-  
mine projectus est. Ubi corpus e-  
jus demersum, anno toto sub aquis  
delituit: tandem aquilæ locum quo-  
tidie observantis indicio inventum  
est integrum & incorruptum; in

Temploque Sancti Emmerami cor-  
pori sui Magistri appositum est.

¶. Certamen magnum.

In III. Nocturno Homilia in E-  
vangelium. Descendens JESUS de  
monte. de Communi Martyrum.

S. Hyacinthi Confessoris Festum  
celebratur in Polonia Dominica pro-  
xima post Festum Assumptionis B.  
V. M. sub ritu duplici, ex Indulso  
Sedis Apostolice.

Extra Poloniam. xvi. Augusti.  
Omnia ut in Breviario die ut supra.

## DIE XVIII. JULII.

*In Festo S. Simonis de Lipnica Confessoris non Pontif:  
Duplex.*

Omnia de Comm. Conf. non Pontif:  
2do loco, præter Orationem & Le-  
ctiones secundi Nocturni.

## ORATIO.

O Mnipotens sempiterne Deus,  
qui Beatum Simonem Confes-  
sorem tuum, Evangelicæ prædica-  
tionis gratia sublimasti: concede  
propitius, ut ejus salutaris doctri-  
nae pabulo nutriti, quæ tibi sunt  
placita exequentes, per semitas ju-  
stitiae ad Cœlestem patriam felici-  
ter pervenire valeamus. Per Domi-  
num nostrum.

In secundo. Nocturno.

## LECTIO V.

**S**imon in Oppido Lipnica Regni Poloniæ, piis honestisque Parentibus natus, ab ineunte ætate non obscuras exhibuit futuræ virtutis significaciones; nam & Deiparam summo studio colebat, & pueriles ludos aspernabatur. Cracoviam studiorum causa missus, ibidem summa cum laude versatus est, & bonis artibus, liberalibusque disciplinis eruditus, in ea Academia primum gradum obtinuit, sed non multo post, cum Ordo Minorum Observantium, S. Joannis à Capistrano opera tunc temporis in Poloniam invectus, sanctitatis fama clareret, illud vivendi institutum, ut Deo liberius inserviret, complexus est.

¶. Honestum fecit.

## LECTIO VI.

**I**N Religione rerum Cœlestium contemplationi assidue addictus, corpus cilicio, flagellis, longaque esurie macerabat. Ferventissimo erga Deiparam amore actus, plures horas quotidie in precibus eidem fundendis suaviter impendebat, diebusque illi sacris cilicio, quod continententer gestare consuevit, aliud asperius superaddebat. Præ maximæ animi demissione vilissima quæque Cœnobii munera obire, hominum præconia, honoresque fugere, convicia vero, & adversa patientissimè ferre solemne habuit; castitatis perpetuus custos, à mulie-

rum conspectu semper abhorruit. Delato sibi concionandi munere, tantâ eloquentiâ, tantoque fervore functus est, ut plures è viciorū cœno ad rectam salutis semitam reduxerit: plures etiam ad mundi contemptum pertraxerit.

¶. Amavit eum.

## LECTIO VII.

**M**artyrii æstuans desiderio, in Pæstinam non sine magnis itineris incommodis profectus est. Sed spe sublata martyrii, postquam loca illa, in quibus redemptionis nostræ mysteria acta sunt, intima effusaque spiritus consolatione visitasset, Cracoviam reversus est; ubi consuetis exercitationibus sedulam operam navabat. Denique cùm pestilentiae morbus in eadem Urbe maximè grassaretur, & Simon, ut erat charitate plenus, agrotantibus Sacra menta administrare, monita salutis exhibere, quoquò modo opitulari non prætermitteret, eodem & ipse morbo corruptus ad extremum vitæ pervenit.

¶. Iste homo.

## LECTIO VIII.

**J**Taque mortem nihil timens, cùpiens dissolvi & esse cum Christo, oculis in Christi è Cruce pendentis imaginem defixis, spiritum placidissimè Deo reddidit, Annô à partu Virginis Millesimô quadragesimô octogesimô secundo, Quinto decimo Kalendas Augusti. Ejus corpus in Ecclesia S. Bernardini

dini  
delatu  
racul  
fidel  
liorē  
auten  
riam  
Sedes

¶.

DO

Post

In

gi

Omni

D

præv

Conj

sumu

tæ p

&amp; p

te P

Per

In

Virg

C

rum

geni

dini sui Ordinis prope Cracoviam delatum innumeris cœpit clarere miraculis: quare paucos post annos, ut fidelium cultui fieret satis, in nobiliorem locum translatum est. Hunc autem cultum ob hominum memoriam eidem exhibitum Apostolica Sedes comprobavit.

*R. Desiderium animæ.*

## DOMINICA PROXIMA

Post diem 24. Julii, vel hac ipsa die, si occurrit.

*In Festo S. Cunegundis Virginis. Duplex i. Classis.*

*Omnia de Communi Virginum, præter ea, quæ sequuntur.*

## O R A T I O.

**D**EUS qui Beatam Cunegundem dulcedinis tuæ benedictionibus prævenisti, ac Virginem etiam in Conjugio conservasti, præsta quæsumus: ut ipsa intercedente per vitæ puritatem tibi jugiter adhædere, & per ejus vestigia gradientes ad te pervenire feliciter mereamur. Per Dominum nostrum.

*In I. Nocturno Lectiones. De Virginibus. De Comm. Virginum.*

*In Secundo Nocturno.*

## LECTIO V.

**C**Unegundis Hungariæ Rege Bella, & Maria Alexii Græcorum Imperatoris Filia Parentibus genita, SS. Vladislai, Hedvigis,

Salomeæ, Elisabeth, & Ludovici non minus illustrium virtutum, quam Regii sanguinis cognatione præfusis. Cum adhuc in utero gestaretur, clara voce cœlitùs emissâ, Mater didicit se prolem eximiæ sanctitatis paritaram. Vix autem in lucem edita, linguam in verba mirabiliter solvit, quibus Beatam Virginem Cœlorum Reginam salutavit. Tum veluti infantiae impedimenta nesciret, admiranda præbuit futuræ sanctitatis argumenta; nam quartis & sextis quibusque feriis semel tantum lac sugebat. Cumque inter Nutricis ulnas Missæ Sacrificio interesset, Sanctissima JESU & MARIAE Nomina cum proferrentur, demisso capite venerabatur, oculisque in Cœlum intentis, tota in Sacrorum Mysteriorum contemplatione defixa videbatur.

*R. Propter veritatem.*

## LECTIO VI.

**P**Ueritiam jugi Divinarum rerum meditationi ac jejunii addicta, fundendis præcibus, eleemosinis erogandis, aliisque piis operibus transagit. Custodiendæ autem Virginitatis studium tunc maximè probavit, cum proposito conjugio diu obluctata, sed Parentibus tamen morem gerere coacta, & Boleslao Poloniæ duci in Matrimonium tradita; prima nuptiarum nocte suasionibus, præcibusque impetravit, ut sibi virginitatem colere liceret; deinde tanto illum puritatis amore inflammavit: ut pari consensu cum intacta Conjuge castitatem emissò votō

votō servandam perpetuō statuerit, quo Pudici cognomentum adeptus est. Polonico autem Regno tam virtutum exemplis mirificè consuluit, quām impetratis à Deo beneficiis, interque illud præcipue celebratur, quod Salisfodinam, unde opulentissimi redditus Regno proveniunt, mirabiliter obtinuerit.

*R. Dilexisti.*

### LECTIO VII.

**M**ortuo Boleslao Poloniæ regimen constantissimè recusavit, curisque omnibus exuta, & facultatibus in pauperes distributis, Ordinem S. Claraæ in Monasterio Sandecensi, quod ipsa considerat, professā est. Ibi cùm aquarum inopia Sorores laborarent, flumini haud procul decurrenti imperavit, ut alveo diverteret, & cursum, quem bacillo aquis designaverat, per acclivia licet loca teneret, Deoque famulæ suæ precibus annuente Monasterii necessitatibus insigni miraculo provisum est.

*R. Prudentes Virgines.*

### LECTIO VIII.

**C**Um autem in eodem Monasterio annos tredecim sanctissimè vixisset, maximis virtutibus, signisque ac Prophetiae dono illustris, præcognita mortis hora placidissimè quievit in Domino die vigesima quarta Julii, Annô Salutis Ducentesimo nonagesimo secundô supra Millesimum, Cujus anima niveo amictu ornata, inter Angelorum

Chorus Cœlum ascendere visa est, ejusque immortalem gloriam innumerā deinde miracula comprobarunt; nam captivi libertatem, cæci visum, ægri plurimi sanitatem, à morbis gravissimis ipsa intercedente recuperarunt, ac mortui plerique in vitam revocati sunt. Itaque antiquissimum cultum, quo per universam Polonię celebrabatur, Alexander Papa VIII. approbavit, & Clemens Papa XI. eandem in primariam ejusdem Regni & Magni Ducatus Lithuaniae Patronam ritè electam confirmavit.

*R. Afferentur Regni.*

*In III. Nocturno Homilia in Evang: Simile est Regnum Cœlorum decem Virginibus. de Comm. Virg.*

### DIE XXX. JULII.

*In Festo B. Ceslai Confessoris. Duplex.*

*Omnia de Comm. Conf. non Pontif. præter ea, quæ sequuntur.*

### ORATIO.

**D**EUS, qui Beatum Ceslaum Virgineo morum candore præditum, & salutis animarum zelo succensum in diversis Nationum Populis operum sanctitate, & fidei propagatione mirabilem effecisti: præsta quæsumus, ut ejus intercessione simus semper in Fide stabiles, & ad te, qui solus es æternæ salutis Auctor ac Largitor, misericordia

dix t  
mus.

*In  
stus.*

**B**ea  
drov  
cia O  
viensi  
ætatis  
ctitati  
virtut  
genua  
mius  
omnib  
admin  
niorib  
tia ex  
adole  
covier  
ibi T  
peram  
Italia  
coviar  
vone  
miriæ  
ctus ,  
& ant  
tam r  
etiam  
quaqu  
ret ,  
mnes  
ret vi  
dibus  
exopt  
*R.*

dia tuae munere pervenire valeamus. Per Dominum.

*In primo Nocturno Lectiones. Iustus de Comm. Conf: non Pontif:*

*In secundo Nocturno.*

## LECTIO V.

**B**eatus Ceslaus S. Hyacinthi Germanus Frater, è Nobilissima Ordovaziorum Prosapia, in Provincia Opolensi, Dicēesis Vratislavensis ortus est: ab ipso ineuntis ætatis principio plurima futuræ sanctitatis indicia, & Christianarum virtutum specimina prodidit. Ingenua, qua pollebat, Jndoles, eximus morum candor ac pietas, illum omnibus non minus amabilem, quam admirabilem reddiderunt. Humanioribus literis apprimè in pueritia excultus in Italiam, cum jam adolevisset, ab Jvone Episcopo Cracoviensi Patruo suo missus est, ut ibi Theologiæ & Jurisprudentiæ operam navaret. Post emensem in Italia studiorum curriculum Cracoviam reversus, & ab eodem Jvone Canonicus & Custos Sandomiriæ in Ecclesia S. MARIAE factus, nihil secundum Deum prius & antiquius habuit, quam ut vitam non tantum à criminibus, sed etiam à suspicione criminum undequaque puram & inculpatam duceret, quo aliis præiret exemplo, omnesque Christianas in se exprimeret virtutes, quarum amorem coribus omnium inserere summopere exoptabat.

*¶. Honestum fecit.*

## LECTIO VI.

**D**Um autem omnibus perfecti Canonici officiis jugi solicitudine fungeretur, contigit, ut Jvo Episcopus Romam profecturus, eum sibi itineris comitem adsciverit. Romam appulsus Ceslaus famâ sanctimoniac & miraculorum Viri Dei Dominic Ordinis Prædicatorum Fundatoris auditâ, nil cunctatus impulsu Spiritus S. mundo nuntium remisit, & ab eodem Sanctissimo Patriarcha habitum Religionis suscepit, in qua tanquam in fertili agro Viri doctrinæ magnitudine, & vitæ sanctitate præstantes, nunquam alii ex aliis continenter propagari, & prosemnari deserunt: in Ordinem Prædicatorum cooptatus ita sub disciplina S. Patris Dominic profecit, ut tanquam exemplum continentia, frugalitatis & obedientia omnibus proponeretur. In Vigiliis, jejunis, carnis maceratione, orationibus, aliquique idgenus Legum sui Ordinis observationibus ita assidue erat exercitatus, ut verus & omnibus suis absolitus Beatissimi Patris Dominic Filius videretur.

*¶. Amavit eum.*

## LECTIO VII.

**P**ost exactum Tyrocinium zelo flagrans salutis animarum, à S. Patriarcha obnixè postulavit, ut ad Oras Septemtrionales, quas in tenebris & in umbra mortis detinebat infidelitatis error & ignorantia, mitteretur. Voti compos factus,

*pri-*

primum Pragam Bohemorum Metropolim se contulit, ibique cum uberrimo animarum lucro Verbum Dei prædicavit, & totam illam Urbem in sui admirationem rapuit. Deinde totam Silesiam prædicationis causa pedibus circumcursans, relicto ubique suavissimo virtutum odore, errantes veritatem edocuit, carnales affectus dissipavit, peccatores ad poenitentiam pellexit, frigida hominum pectora Divino amore inflammat, copiosumque fructum in horrea Domini, ad cuius gloriam jupiter & unicè anhelabat, convexit.

*R. Iste homo.*

### LECTIO VIII.

DUM Tartari Polonię, & Silesiam ferro, flammaque devastarent, pię creditum est, Ceslau, qui s̄aviente hostium furore in Castrum Vratislavie unà cum aliis Christi fidelibus confugerat, precibus suis ac lachrymis ad Deum effusis hanc Urbem defendisse. Tandem plenus meritis obiit Vratislaviae in Monasterio sui Ordinis Annō Millesimō ducentesimō quadragesimō secundō. Ad ejus Sepulchrum populus venerationis ergo certatim confluere, eique c̄epit exhibere cultum, quem in S. Rituum Congregatione maturo examine perpensum Clemens XI. Pontifex Maximus approbavit, & universo Prædicatorum Ordini concedit, ut Officium de B. Ceslao celebraret. Quod Clemens Papa XII. ad Regnum Polonię, & Provincias annexas extendit.

*R. Desiderium animæ.*

*In III. Noct. Homilia in Evang:*  
Designavit Dominus. *ut in Communi Evangelistarum.*

### DIE II. AUGUSTI.

*In Festo S. Hieronymi Aemiliani Conf. Officium Duplex minus. Pro quo Decretum Clementis XIV. Pontif: Maximi editum: Urbis & Orbis. Die 2. Septembris Anno 1769.*

*Omnia de Comm. Conf. non Pontif. prater Sequen.*

### ORATIO.

DEUS, misericordiarum Pater, per merita & intercessionem Beati Hieronymi, quem orphanis adjutorem & Patrem esse voluisti: concede, ut spiritum adoptionis, quo filii tui nominamur & sumus, fideliter custodiamus. Per Dominum.

*In primo Nocturno Lectiones. Iustus. de Comm. Confes: non Pontif.*

*In secundo Nocturno.*

### LECTIO V.

Hieronymus, è gente patricia Aemiliana Venetiis ortus, à prima adolescentia militiæ addictus, difficillimis Reipublicæ temporibus Castro Novo, ad Quarum in montibus Tarvisinis præficitur. Arce ab hostibus capta, ipse in teterri-  
mum

mum carcere detruditur, manibus ac pedibus vinctus, cui omni humana ope destituto Beatissima Virgo, ejus precibus exorata, clemens adest, vincula solvit, & per medios hostes, qui vias omnes obsederant, in Tarvisii conspectum incolumem duxit. Urbem ingressus ad Deiparæ aram, cui se voverat, manicas, compedes, catenas, quas secum detulerat, in accepti beneficii testimonium suspendit. Reversus Venetias cœpit pietatis studia impensis celere, in pauperes mirè effusus, sed puerorum præsertim miseris, qui parentibus orbati, egeni, & sordidi per urbem vagabantur, quos in ædes à se conductas recepit de suo alendos, & Christianis moribus imbuendos.

R. Honestum fecit.

## LECTIO VI.

Per eos dies Venetias appulerant Beatus Cajetanus, & Joannes Petrus Caraffa, postmodum Paulus Quartus, qui Hieronymi spiritu, novoque instituto colligendi Orphanos probato, illum in Incurabilem Hospitale adduxerunt, in quo Orphanos simul educaret, atque ægrotis pari charitate inserviret. Mox eorundem hortatu in proximam continentem profectus, Brixiae primū, deinde Bergomi, atque Novocomi Orphanotrophia erexit; Bergomi præsertim, ubi præter duo, pro pueris unum, & pro puellis alterum; dum excipiendis, novo in illis regionibus exemplo, mulieribus à turpi vita ad pænitentiam conversis

aperuit. Somaschæ demum subsistens, in humili pago agri Bergomensis ad Venetæ ditionis fines, sibi ac suis ibi sedem costituit, formaque induxit Congregationis, cui propterea à Somascha nomen factum, quam subinde auctam & propagatam, nedum Orphanorum regimini & Ecclesiarum cultui, sed ad majorem Christianæ Reipublicæ utilitatem, adolescentium in literis, & bonis moribus institutioni in Collegiis, Academiis, & Seminariis addictam Sanctus Pius Quintus inter Religiosos Ordines adscripsit, cæterique Pontifices privilegiis ornarunt.

R. Amavit eum Dominus.

## LECTIO VII.

O rphanis colligendis intentus Mediolanum proficiscitur, atq, Ticinum, & utrobique collectis agminibus puerorum tectum, victum, vestem, Magistros, nobilibus Viris faventibus, provide constituit. Inde Somascham redux, omnibus omnia factus, à nullo abhorrebat opere, quod in proximi bonum cedere prævideret. Agricolis immixtus per agros sparsis, dum se illicis adjutorem in metendis frugibus præbet, mysteria Fidei explicabat, puerorum capita prurigine fœda abstergens, & patienter tractans curabat, putridis rusticorum vulneribus medebatur, eo successu, ut gratia curationum donatus censeretur.

R. Iste homo perfecit.

**LECTIO VIII.**

**I**N monte, qui Somaschæ imminet, reperta specu, in illam se abdidit, ubi se flagellis cädens, dies integros jejonus transigens, oratione in plurimam noctem protracta, super nudo saxo brevem somnum carpens, sui aliorumque nostrarum pœnas luebat. In hujus specus interiori recessu ex arido silice extillat aqua, precibus servi Dei ut constans traditio est, impetrata, quæ usque in hodiernam diem jugiter manans, & in varias regiones delata, ægris sanitatem plerumque conciliat. Tandem ex contagione, quæ per omnem vallem serpebat, dum ægrotantibus inservit, & vita functos propriis humeris ad sepulturam desert, contracto morbo, annos natus sex & quinquaginta, quam paulo ante prædixerat, pretiosam mortem obiit, anno millesimo quingentesimo trigesimo septimo: quem pluribus in vita & post mortem miraculis illustrem Benedictus Decimus quartus Beatorum, Clemens vero Decimus tertius, Sanctorum fastis solemniter adscripsit.

*R. Desiderium animæ.*

*In tertio Nocturno.*

*Lectio S. Evangelii secundum Mathæum.*

**LECTIO IX. c. 19. v. 13.**

**I**N illo tempore: Oblati sunt IESU parvuli, ut manus eis imponeat & oraret. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

*Hom 62. in Math.*

**C**ur Discipuli pueros abigebant? Dignitatis causâ. Quid ergo ille? Ut doceat illos modestè sapere, fastumque mundanum concilcare, & suscipit & ulnis complectitur, talibusque Regnum Cœlorum pollicetur; id quod etiam dixit superiùs. Et nos igitur si volamus hæredes esse Cœlorum, hanc virtutem cum diligentia magna sectemur. Hoc est enim Philosophie culmen, simplicem esse cum prudentia. Hæc vita est Angelica. Anima enim pueruli omnibus animi morbis vacua est: non memoriam retinet injuriarum, sed eas inferentes adit, ut amicos, ac si nihil factum esset. Et quamvis à Matre verberibus cädatur, eam semper querit, & omnibus anteponit.

*R. Iste est, qui ante Deum.*

**LECTIO X.**

**S**I Reginam ipsi ostendas diademate ornatam, non præfert eam matri pannis detritis vestitæ, malletque illam incultam videre, quam Reginam mirificè amictam. Nam quod suum, quod alienum est, non ex paupertate vel divitiis, sed ex amore æstimare solet, & nihil plus requirit, quam necessaria, atque ut lacte repletus est, statim à mamma abscedit. Non eisdem, quibus nos erumnis præmitur, nec pecuniarum jactura, rebusque similibus, nec iisdem, quibus nos, fluxis rebus

tomi.  
bant?  
ergo  
tè sa-  
ncul-  
mple-  
Cœlo-  
m di-  
si vo-  
hang  
na se-  
ophiæ  
pru-  
a. A-  
animi  
oriam  
feren-  
hil fa-  
Matre  
emper-  
t.  
m.  
  
diade-  
rt eam  
mal-  
quàm  
Nam  
t, non  
sed ex  
il plus  
que ut  
mam-  
quibus  
pecu-  
libus,  
axis re-  
bus

bus latatur, neque corporum pul- chritudinem miratur. Ideo dicebat: Talium est Regnum Cœlorum, ut ex proposito voluntatis illa ope remur, quæ natura sua pueri faciunt.

R. Sint iumbi vestri.

## LECTIO XI.

**Q**uia enim Pharisæi non aliunde, quam à nequitia & arrogantia ad agendum ferebantur, ubique discipulos suos simplices esse jubet, illosque subindicat, dum hos instituit. Nihil enim ita superbiā parit, ut principatus & primi consessus.

R. Beatus Vir.

## LECTIO XII.

**Q**uoniam igitur Discipuli per totum terrarum Orbem multum honoris consecuturi erant, ipsorum animos prævenit, nec sinit eos humanum quid pati, nec honorem à vulgo expetere, vel ante alios se efferre. Nam etiamsi hæc parva videntur esse, at malis ingentibus causam præbent. Sic enim instituti Pharisæi in malorum culmen ascenderunt; salutationes, primos consessus, & medios requirentes, hinc in ardentem gloriæ cupiditatem, inde verò in impietatem lapsi sunt.

R. O Beati Viri.

*Sequentia S. Evangelii secundum Mathæum. c. 19. v. 13.*

**I**N illo tempore: Oblati sunt IESU parvuli, ut manus eis imponeret & oraret. Discipuli autem

increpabant eos. Jesus vero ait eis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum Cœlorum. Et cum imposuisset eis manus, abiit inde Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata; Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum. Non falsum testimonium dices: Honora Patrem tuum & Matrem tuam, & diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodivi à juventute mea, quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in Cœlo: & veni, sequere me.

*Oratio. Deus, misericordiarum Pater. ut supra. Missa propria.*

## DIE XI. AUGUSTI.

*In Festo S. Camilli de Lellis Confessoris. Duplex.*

*Omnia de Comm: Conf. non Pontif: exceptis iis, quæ sequuntur.*

## ORATIO.

**D**EUS, qui Sanctum Camillum ad animarum in extremo agone luctantium subsidium, singulari charitatis prærogativa decorasti: ejus, quæsumus, meritis spiritum nobis tuæ

tuæ dilectionis infunde , ut in hora exitus nostri hostem vincere , & ad Cœlestēm mereamur coronam pervenire. Per Dominum &c. in unitate ejusdem Spiritus.

*In Hymno 3. Versus mutatur.*

*In primo Noct: Lectiones.*

Justus si morte. ut in eodem Communi.

*In secundo Nocturno.*

## LECTIO V.

Camillus Buccanici Theatinæ Diœcesis Oppido , ex Nobili Lelliorum familia natus est , Mater Sexagenaria , cui gravidæ visum est per quietem puerulum Crucis signo in pectore munitum , & agmini puerorum idem signum gestantium præeuntem se peperisse. Adolescens rem militarem secutus , sæculi vitiis aliquamdiu indulxit , donec vigesimum quintum agens ætatis annum ; tanto supernæ gratiæ lumine , Divinæque offensæ dolore correptus fuit , ut uberrimo lachrymarum imbre illico perfusus , anteactæ vitæ sordes indesinenter abstergere , novumque induere hominem firmiter decreverit. Quare ipso , quô id contigit Purificatio- nis Beatissimæ Virginis MARIAE Festo die , ad Fratres Minores , quos Capucinos vocant , convolans , ut eorum numero adscriberetur , summis precibus exoravit. Voti compos semel , atque iterum factus est , sed fædo ulceræ , quo aliquando la-

borationerat , in ejus tibia iteratō re- crudescente , Divinæ Providentiæ majora de eo disponentis consilio humiliiter se subjecit , suique victor illius Religionis bis expetitum & susceptum habitum , bis dimisit.

¶ Honestum fecit.

## LECTIO VI.

Romam profectus in Nosocomium , quod insanabilem dicitur , receptus est ; cujus etiam administrationem , ob perfectas ejus virtutes , sibi demandatam summa integritate ac sollicitudine verè paterna peregit. Omnium ægrorum Servum se reputans , eorum sternere lectulos sordes tergere , ulceribus mederi , agonique extremo piis precibus & cohortationibus opem ferre solemne habuit. Quibus in munib[us] præclarâ præbuit admirabilis patientia , invictæ fortitudinis , & heroicæ charitatis exempla. Verùm cùm animarum in extremis periclitantium , quod unicè intendebat , levamini subsidium literarum plurimum conferre intelligeret , triginta duos annos natus , in primis Grammaticæ elementis tyrocinium inter pueros iterum subire non erubuit.

¶ Amavit eum Dominus.

## LECTIO VII.

Sacerdotio postea rite initiatus , nonnullis sibi adjunctis Sociis , prima jecit Congregationis Clericorum Regularium infirmis ministrantium fundamenta , irrito conatu obnitente humani generis hoste : Nam

Camil-

Camillus cœlesti voce è Christi Crucifixi, manus etiam de ligno avulsas admirando prodigo protendentis, simulacro emissæ, mirabiliter confirmatus, Ordinem suum à Sede Apostolica approbari obtinuit. Sodalibus quartō obstrictis maximè arduō votō, infirmis, quos etiam pestis infēcerit, ministrandi. Quod institutum quām foret Deo acceptatum, & animarum saluti proficuum, Sanctus Philippus Neriū, qui Camillo à Sacris Confessionib⁹ erat, comprobavit, dum ejus Alumnis decedentium agoni ope⁹ ferentibus Angelos suggerentes verba sæpius se vidisse testatus est.

*R. Iste homo perfecit.*

### LECTIO VIII.

**A**uctioribus hisce vinculis ægrotantium ministerio mancipatus mirum est, qua alacritate, nullis fractus laboribus, nullis deterritus vitæ periculis, die noctuque ad supremum usque spiritum, eorum commodis vigilaverit. Omnibus omnia factus vilissima quæque officia demississimō obsequiō, flexisque plerumque genib⁹, véluti Christum ipsum cerneret in infirmis, hilari promptoque animo arripiebat; utq; omnium indigentiis præsto esset; generalem Ordinis Praefecturam, Cœlique delicias, quibus in contemplatione defixus affluebat, sponte dimisit. Paternus verò illius erga miseros amor tum maximè effulgit, cùm & urbs contagiosō morbo primū, deinde extrema annonæ

laboraret inopia, & Nolæ in Campania dira pestis grassaretur. Tanta denique in Deum, & proximum charitate exarsit, ut Angelus nuncupari, & Angelorum opem in vario itinerum discriminē experiri promereretur. Prophetiæ dono & gratia sanitatum prædictus, arcana quoque cordium inspexit; ejusque precibus nunc cibaria multiplicata sunt, nunc aqua in vinum conversa. Tandem vigiliis, jejunis, & assiduis attritus laboribus cum pelle tantum & ossibus constare videtur, quinque molestis æquè, ac diutinis morbis ( quos misericordias Domini appellabat ) fortiter toleratis, Sacramentis munitus, Romæ inter suavissima JESU & MARIAE Nomina ad ea verba: Mitis atque festivus Christi JESU tibi aspectus appareat, quā prædixerat horā, obdormivit in Domino, pridie Idū Julii, Anno salutis Millesimō sexcentesimō decimō quartō, ætatis suæ Sexagesimō quartō: Quem pluribus illustrem miraculis Benedictus XIV. solemnī ritu Sanctorum fastis adscripsit.

*R. Desiderium animæ.*

*In tertio Nocturno.*

*Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem.*

### LECTIO IX. Cap. 15.

**J**N illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis. Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Et reliqua.

*Homi-*

Homilia S. Augustini Episcopi.  
Tract: 83. in Joann: Evang.

**Q**uid putamus, Fratres mei: Num quidnam solū ejus de ista dilectione mandatum est, qua diligimus invicem? Nonne est & aliud majus, ut diligamus Deum? Aut verò de sola nobis dilectione mandavit: ut alia non requiramus? Tria tamen commendat Apostolus dicens: Manent autem Fides, Spes, Charitas, tria hæc; major autem horum charitas.

R. Iste est, qui ante Deum.

### LECTIO X.

**E**T si in charitate, hoc est in dilectione concluduntur duo illa præcepta, major tamen dicta est esse non sola. De Fide igitur nobis quām multa mandata sunt; quām multa de Spe? Quis potest cuncta colligere? Quis enumerando sufficere? Sed intueamur, quod ait Apostolus: plenitudo legis charitas.

R. Sint lumbi vestri præcincti.

### LECTIO XI.

**U**Bi ergo Charitas est, quid est, quod possit deesse? Ubi autem non est, quid est, quod possit prodesse? Dæmon credit, nec diligit: nemo diligit, qui non credit. Frustra quidem, sed tamen potest sperare veniam, qui non diligit: nemo autem potest desperare, qui diligit. Itaque ubi dilectio est, ibi necessario Fides & Spes: Et ubi dilectio proximi, ibi ne-

cessario dilectio Dei. Qui enim non diligit Deum, quomodo diligit proximum tanquam se ipsum? quandoquidem non diligit & seipsum. est quippe impius & iniquus. Qui autem diligit iniquitatem, non plenè diligit, sed odit animam suam. R. Beatus Vir.

### LECTIO XII.

**H**Oc ergo præceptum Domini temnamus, ut nos invicem diligamus; & quidquid aliud præcepit, faciamus: quoniam quidquid est aliud, hic habemus. Discernitur quippe ista dilectio ab illa dilectione, quae invicem diligunt homines, sicut homines. Nam ut discernetur, adjunctum est: Sicut dilexi vos. Ut quid enim diligit nos Christus, nisi ut regnare possimus cum Christo? Ad hoc ergo & nos invicem diligamus, ut dilectionem nostram discernamus à cæteris, qui non ad hoc se invicem diligunt, quia non diligunt. Qui autem se propter habendum Deum diligunt: ipsi se diligunt: ergo ut se diligent, Deum diligent. Non est hæc dilectio in omnibus hominibus. Pauci se propterea diligunt, ut sit Deus omnia in omnibus.

R. O! Beati Viri.

*Evangelium.* Hoc est præceptum meum. *de Communi Apostolorum.*

*Oratio.* Deus, qui S. Camillum. ut supra.

DIE

## DIE SECUNDA.

Intra Octavam Assumpt: B. V. M.

### Lectiones primi Nocturni.

De Sermone S. Joannis Damasceni.

## LECTIO I.

**J**ubilemus in Arca Domini Dei, toto animo, & muri cadent Jerichunteni, contrarium inquam potestatum infestæ munitiones. Cum David exultemus Spiritu. Arca enim Domini hodie requievit. Clamemus cum Gabriele, qui primum locum obtinet inter Angelos; Ave gratia plena, Dominus tecum, ave gaudii pelagus inexhaustum, ave unicum molestiarum levamen, ave omnium cordis dolorum medicamentum. Ave Sancta Virgo, per quam mors quidem expulsa, vita autem introducta.

## LECTIO II.

**T**U ergo, o! Sacrorum Sepulchrorum Sacratissimum! post Domini quidem Sepulchrum, quod vitæ dedit principium, quod fuit fons Resurrectionis, tecum enim loquar tanquam cum animato, ubi nam est aurum illud purum, quod manus Apostolorum in te condiderunt? Ubi divitiae, quæ consumi nequeunt, ubi pretiosus ille thesaurus, qui vitam suscepit? Ubi novum volumen, in quo ineffabiliter Deus Verbum sine manu inscriptum fuit? Ubi abyssus gratiæ? ubi pelagus curationum? Ubi est desiderabile illud Deiparæ Corpus.

## LECTIO III.

**Q**uid quæritis in Sepulchro Eam, quæ ad Cœlestia translata est tabernacula? cur à me rationem custodiæ expescitis? non possum ego Divinis jussis resistere. Sacrosanctum illud Corpus, quod mihi quoq; sanctitatem impertivit, ac pretiosissimi unquenti fragrantia me replevit, & divinum Templum effecit; relicts Syndonib; abicit raptum sublime, comitantibus Angelis, Archangelis, & omnibus Cœlestibus Potentiis: nunc me circumdant Angeli, nunc Divina in me habitat gratia; ego evasi officina medicinæ ægrotantibus, ego fons perennis curationum, ego remedium adversus dæmones, ego civitas refugii omnibus ad me confugientibus.

## DIE XVI. AUGUSTI.

*In Festo Sancti Rochi Confessoris. Duplex.*

*Omnia de Comm. Conf. non Pontif: præter ea, quæ sequuntur.*

## ORATIO.

**D**EUS, qui es gloriosus in gloria Sanctorum, qui cunctis ad eorum patrocinia confugientibus suscepitionis salutarem præstas effectum: concede plebi tuæ, ut intercedente B. Rocho Confessore tuo; quæ in ejus commemoratione se devotam exhibit, à languore epidemiæ, quam in suo corpore pro tui Nominis

minis gloria passus est , sit libera,  
& tuo Nomi ni semper sit devota.  
Per Dominum nostrum.

*In primo Noct: Lectiones. De  
Scriptura occurrente.*

*In secundo Nocturno.*

## LECTIO V.

**B**eat us Rochus monte Pessulano Narbonensis Galliæ Civitate non ignobili olim Agatha , sive Agathopolis dicta natus , jam ab ipso partu Cœlesti futuræ sanctitatis signo est insignitus : nimirum Parentes ejus Joannes , & Libera longeva ætate proiecti , & ante steriles , votō conceptō , ac frequentissimis præcibus filium hunc tandem impetrarunt ; quem nascentem novo miraculo rubea Cruce in pectore insignitum Parentes , vicinique omnes sunt admirati . Expectationem Cœlestis augurii Rochus non fefellit : ecce enim adhuc infantulus maternæ pietatis imitator , quartæ & sextæ feriarum cujusque hebdomadæ jejunio , quo fuerat conceptus , etiam nondum rationis compos voluit enutri. Mortuo paulo post utroque Parente , amplissimi Patrimonii unicus hæres , & Civitatis ipsius supremus Dominus ac Moderator relictus , qui infans jam virili abstinentia sese materno ab ubere depulerat , fortiori longe humanarum rerum contemptu Vir factus , Patriam bonaque omnia , & dignitates Paternas nedum deseruit , sed contempsit . Inde immortalem Patriam propria contempta quæsitus dum sciret ex Apostolo : permanen-

tem Civitatem nos hic nullam habere , sed futuram inquirere , loca sanctiora , & toto terrarum Orbe sanctitatis vestigiis celeberrima cœpit pedes invisere.

*¶. Honestum fecit.*

## LECTIO VI.

**P**rimùm Aquam pendentem Italiæ Urbem appulit , & ecce hac in Civitate erga infirmos exercendæ charitatis nactus est occasionem B. Rochus , cùm tota fere civitas pestilentiaz morbo contabesceret , affictis contagii lue hominibus sublevandis totum se adjecit . Inde Civitate à morbo epidemiæ liberata , primùm Cenosam , deinde Placentiam , & vicinas Italiæ Urbes peragravit , mira ubique exercens opera charitatis , ac præsertim supra humanas vires Divina virtute & curationum frequentioribus signis toto illo in Orbe celeberrimus . Inter quæ illud accidit , quod Romam ad purpurei Senatus Principem (Cardinalem dicunt) vocatus , tum peste laborantem , Signo Crucis in fronte ægrotantis impresso , protinus sanavit ; aliaque quām plurima inibi in tota Italia sanitatum miracula edidit Sanctissimus Peregrinus .

*¶. Amavit eum Dominus.*

## LECTIO VII.

**E**TENIM vero probatissimi aliquin & gratiosissimi DEO , & hominibus necesse fuit , ut patientiam probaret tentatio ; quamobrem in Italia primùm gravi febre , & infixa

infixa Divina permissione sagitta vulnere percussus , omni humana ope destitutus sub arbore jacuit : cui ut olim Christo ipsi apparuit Angelus confortans eum , eundemque per id tempus canis sumpto de mensa Domini pane quotidiano pavit , non instinctu naturali , sed ejus jussu , qui corvis ministrantibus Prophetas suos enutravit , & sipienti populo fontem aquæ de rupe durissima eduxit.

R. Iste homo perfecit.

### LECTIO VIII.

Inde in Patriam redeuntem novissima , sed longe graviori tentatione Sanctum suum Dominus mortificavit. Illum enim vili in habitu , quem Evangelicæ paupertatis æmulatione induerat depresso , Cives Montis Pessulanii tanquam Patriæ proditorem aut exploratorem in carcerem detrudunt , illic postremus fuit , aut certè ad meritorum augmentum gloriosissimus etiam Antagonistæ cum mundo & dæmonie conflictus , dum illum sibi jure hereditario debiti Civitatis Montis Pessulanii Domini contemptu ; istum verò per proprios Cives & Parentes exasperantes adversus Sanctum , mira toti injuriarum tolerantia superat ac devincit. Tandem longe Misericordissimus Deus , qui militem suum toto jam quinquennio cum concupiscentia mundi , & superbia vitæ conflictantem , è Cœli specula intuebatur , prius Angelica visitatione confortatum solo eduxit Cœlo donandum. Quem acume-

nici Constantiensis Patres elata ejus in solemnî supplicatione imagine , omnisque toto orbe terrarum populi Christiani in publica pestilentia clade , adeò propitium advocatum sunt experti , ut tot miraculorum frequentia , & unanimi Orthodoxæ Fidei consensu , firmata ejus sanctitate , & aræ Sanctissimo Confessori erectæ , & Supplicationes publicæ fuerint institutæ ; Illumque plebs Christiana velut Cœlo jam Beatum jure merito veneratur.

R. Desiderium Animæ.

*In III. Noct. Homilia in Evangelium. Ecce nos reliquimus. ut in Comm. Abbatum & Evang. ibid.*

### DOMINICA PROXIMA

Post Octavam Assumpt. B. V. M.

*In Festo Translationis Sancti Casimiri Confessoris sub ritu duplice , ex Indulso Innocentii X. Pontif: Max: In Lithuania verò 2plex secundæ Classis.*

*Omnia dicuntur ut in ejus Festo IV. Martii , præter Orationem & Læctionem , quæ sequitur.*

### ORATIO.

DEUS , qui Beatum Casimirum de Mundi & carnis victoria triumphantem à terreno ad Cœlesti Regnum transtulisti , da quæsumus , ut qui ejus hodie memoriam Translationis agimus , ejusdem semper

per in adversitatibus experiamur suffragia. Per Dominum.

*In secundo Nocturno.*

*Lectioni Octavæ hæc apponi debent.*

**I**N cuius honorem plurius etiam per Joannem Casimirum Regem gratiis in Regni tutelam adversus infideles receptis, pietate primùm Sigismundi Tertii Vilnæ regiè extructō, & à Vladislao IV. pari munificentia absolutō Sacellō, & illuc corpore honorificentissimè translato, ejusmodi Translationis memoria hodie ipso Joanne Casimiro de hoc Sedi Apostolicæ suppliante anniversaria celebritate colitur. Et quo ad diem celebrandi Festum, & Officium sub ritu dupli per totum Regnum Poloniæ illum transferri in Dominicam primam post Octavam Festi Assumptionis Beatæ MARIÆ Virginis, Innocentius X. indulxit.

**DIE XXVI. AUGUSTI.**

*In Festo Sanctæ Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, Ordinis Sanctimonialium Visitationis Sanctæ Mariae Fundatricis.*

*Duplex.*

*Omnia de Comm. nec Virginum, nec Martyrum, præter ea, quæ sequuntur.*

**O R A T I O.**

**O**Mnipotens & Misericors Deus, qui Beatam Joannam Franci-

scam, tuo amore succensam admirabilis Spiritus fortitudine per omnes vitæ semitas in via perfectionis donasti, quique per illam illustrare Ecclesiam tuam nova prole voluisti: ejus meritis & precibus concede, ut qui infirmitatis nostræ consciæ, de tua virtute confidimus, cœlestis gratiæ auxilio cuncta nobis adversantia vincamus. Per Dominum.

*In I. Noct: Lectiones. Mulierem fortem. de Comm. non Virginum.*

*In secundo Nocturno.***L E C T I O V.**

**I**oanna Frncisca Fremiot à Chantal, Divione in Burgundia clarissimis orta natalibus, ab ineunte ætate eximiæ sanctitatis non obscuras edidit significationes. Eam enim vix quinquennem nobilem quemdam Calvinistam solida supra ætatem argumentatione perstrinxisse ferunt, collatumque ab eo munusculum flammis illico tradidisse, in hæc verba: En quomodo hæretici apud inferos comburentur, qui loquenti Christo fidem detrectant. Matre orbata Deiparæ Virginis tutelæ se commendavit, & famulam, quæ ad mundi amorem eam alliciebat, à se rejecit. Nihil puerile in moribus exprimens, à sacculi deliciis abhorrens, martyriumque anhelans, religioni, ac pietati impensè studebat. Baroni de Chantal nuptiæ à Patre tradita, virtutibus omnibus excolendis operam dedit, liberos, famulos, aliquosque sibi subjectos in fidei doctrina, bonisque mori-

admi-  
omnes  
nis do-  
ustrare  
luisti:  
ncede,  
oncii,  
celestis  
adver-  
minum.  
lierem  
inum.

moribus imbuere satagens. Profusa liberalitate pauperum inopiam sublevabat, annonam divinitus non raro multiplicata, quo factum est, ut nemini se unquam Christi nomine roganti stipem abnegaturam spoponderit.

R. Propter veritatem.

## LECTIO VI.

**V**iro in venatione interempto, perfectioris vitæ consilium iniens, continentiae voto se obstrinxit. Viri necem non solum æquo animos tulit, sed in publicum indultæ veniæ testimonium, occisoris filium è Sacro fonte suspicere sui victrix elegit. Modica familia, tenui victu, atque vestitu contenta, pretiosas vestes in pios usus convertit. Quidquid à domesticis curis supererat temporis, precibus, piis lectionibus, laborique impendebat. nunquam adduci potuit, ut alteras nuptias, quamvis utiles & honorificas, iniret. Ne autem à proposito castimonie observandæ in posterum dimoveretur, illius voto innovato, Sanctissimum JESU Christi Nomen candardi ferro pectori insculpsit. Ardentius in dies charitate fervescens pauperes, derelictos, ægros, teterimisque morbis infectos ad se adducendos curabat; eosque non hospitio tantum excipiebat, solabatur, fovebat, verum etiam sordidas eorumdem vestes depurgabat, laceras reficiebat, & manantibus fastido pute ulceribus labia admovere non exhorrebat.

R. Dilexisti justitiam.

## LECTIO VII.

**A** Sancto Francisco Salesio, quo spiritus moderatore usa fuit, Divinam voluntatem edocta, proprium Parentem, Sacerdotem, Filium denique ipsum, quem etiam vocationi obsistentem sua è Domo egrediens pedibus calcare non dubitavit, invictâ constantiâ deseruit, & Sacri instituti Visitationis Sanctæ Mariæ fundamenta jecit. Ejus Instituti leges integerrimè custodivit, & adeo paupertatis fuit amans, ut vel necessaria sibi deesse gauderet. Christianæ vero animi demissionis, & obedientiae, virtutum deniq; omnium perfectissimum exemplar se præbuit. Altiores in cordé suo ascensiones disponens, arduissimo efficiendi semper id, quod perfectius esse intelligeret, voto se obstrinxit.

R. Fallax gratia.

## LECTIO VIII.

**D**Enique Sacro Visitationis Instituto ejus potissimum opera longè lateque diffuso, verbô, exemplô, & scriptis etiam divina sapientia refertis ad pietatem & charitatem Sororibus excitatis, meritis referta, & Sacramentis ritè susceptis, Molini Anno Millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, die decima tertia Decembris migravit ad Dominum; ejusque Animam occurrente Sancto Francisco Salesio in Cœlos deferri Sanctus Vincentius à Paulo procul distans aspexit. Ejus Corpus postea Annecium translatum fuit; eamque miraculis ante & post obi-

tum

tum claram Benedictus XIV. Beatorum, Clemens XIII. albo Sanctorum adjecit. Festum autem ejusdem, die duodecimo Kalendas Septembbris ab universa Ecclesia Clemens XIV. Pontifex Maximus celebrari præcepit.

*R. Quàm pulchra es.*

*In III. Noct: Homilia in Evangelium. Simile est Regnum Cœlorum thesauro. ut in Comm: non Virginum.*

*Oratio ut supra.*

## DOMINICA SECUNDA

Post Octavam Assumpt: B.V.M.

### OFFICIUM.

*In Festo S. Joachim Genitoris B: V: M: Protectoris Regni Poloniæ & M: D: L: à S: R: C: revisum & approbatum Duplex i: Classis.*

*Ad Vespertas Antiph:*

Laudemus Virum gloriosum. cum reliquis de Laudibus. Psalmus. Dixit Dominus. cum reliquis de Dominicâ.

*Capitulum. Eccl: 44. c*

**L**audemus Viros gloriosos, & Parentes nostros in generatione sua: Multam gloriam fecit Dominus magnificentiâ suâ à sâculo. *R. br. Factum est illi. \* Testamentum æternum. Factum.*

*¶. Et semini ejus sicut dies Cœli. Testamentum. Gloria Patri. Factum.*

### H Y M N U S.

*Ad Vesp: & Matutinum.*

**T**E cuncti JOACHIM Christi adæ canant,  
Te dignum celebrent Virginis inclytæ  
Patrem, munere, quo nil speciosius,

Nil præstantius obtines.  
ANNAM nactus eras connubio parem,

Quæ tecum meruit gignere Filiam  
Nulli consimilem; Mater enim fuit,

Et Nutrix hominis Dei.  
Ritu præcipuo Te JOACHIM colit,

Summi Regis Avum tota Polonia.  
Fac ut tuta bonis floreat omnibus

Sub Patrocinio Tui.  
Semper laus resonet summa Deo

Patri,  
Eternum maneat Gloria Filio,  
Sancto Spiritui sit sine termino,

Qui debetur honos. Amen.

*¶. Potens in terra erit Semen ejus.*

*R. Generatio rectorum benedicetur.*

*Ad Magnificat, Antiph:*

Laudemus Virum gloriosum in generatione sua, quia benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & testamentum suum confirmavit super caput ejus.

### O R A T I O.

**D**EUS, qui præ omnibus Sanctis tuis B. Joachim Genitricis Fi-

Cœli.  
i. Fa-  
n.  
Christi-  
nis in-  
speci-  
tines.  
bio pa-  
Filiam  
im fuit,  
s Dei.  
M colit,  
onia.  
anibus  
ui.  
na Deo  
ilio,  
mino,  
. Amen.  
en ejus.  
dicetur.  
tiph:  
osum in  
edictio-  
illi Do-  
um con-  
D.  
Sanctis  
ricis Fi-  
lli

lii tui Patrem esse voluisti: con-  
cede quæsumus, ut cuius Festa ve-  
neramur, ejus quoque perpetuo pa-  
trocinia sentiamus. Per eundem  
Dominum.

*Deinde fit Commem: Dom: occur:*

### *Ad Matutinum Invitatorium.*

Laudemus Deum nostrum. \* In  
veneratione Beati Joachim Protec-  
toris nostri. *Psalmus.* Venite exulta-  
temus. *Hymnus.* Te cuncti. *ut in*  
*Vesperis.*

### *In primo Nocturno Antiph:*

Vir justus atque perfectus in ge-  
nerationibus suis, cum Deo ambu-  
lavit. *Psalmus.* Beatus Vir. *cum*  
*reliquis de Comm: Conf: non Pontif:*

*Antiph.* De omni corde suo lau-  
davit Dominum, & dilexit Deum,  
qui fecit illum.

*Antiph.* Magnus factus est in ter-  
ra sua, & præclarus in universo  
populo.

*Antiph.* Dilectus Deo & homi-  
nibus, cuius memoria in benedicti-  
onibus est.

*Antiph.* Magnus fuit secundum  
Nomen suum, maximus in salutem  
electorum Dei.

*Antiph.* Hæreditavit honorem in  
populo, & Nomen illius erit vivens  
in æternum.

*¶.* Justus tota die miseretur,  
& commodat.

*¶.* Et semen ejus in benedicti-  
one est.

### *In primo Noct: Lectiones.*

Laudemus Viros gloriosos. *de*  
*Comm. Conf. Pontif: 2do loco.*

*¶.* I. Ecce qui in vita sua suf-  
fuslit Domum. \* Et adeptus est glo-  
riam in conservatione gentis.

*¶.* Quasi Stella matutina in me-  
dio nebulæ, & quasi luna plena in  
diebus suis lucet. Et adeptus est.

*¶.* II. Viam sapientiæ monstra-  
vit illi. \* Quasi lux splendens se-  
mita ejus processit, & crevit usq;  
ad perfectum diem.

*¶.* Rectos fecit Dominus cursus  
ejus, & itinera illius in pace pro-  
duxit. Quasi lux.

*¶.* III. Non recedet memoria  
illius. \* Et nomen ejus requiretur  
à generatione in generationem.

*¶.* Dominus testamentum suum  
confirmavit super caput ejus. Et  
nomen.

*¶.* IV. Dedit celebrantibus de-  
cuss, & ornavit tempora usque ad  
consummationem vitæ. \* Ut lau-  
darent Nomen Sanctum Domini.

*¶.* Factum est illi testamentum  
æternum, & Semini ejus, sicut dies  
Cœli. Ut laudarent.

Gloria Patri. Ut laudarent.

### *In secundo Noct: Antiph:*

In Fide & lenitate ipsius San-  
ctum fecit illum, & elegit eum ex  
omni carne. *Psalmus.* Domine,  
quis habitabit. *cum reliquis de Comm.*  
*Conf. non Pontif:*

*Antiph.* Factum est illi testamen-  
tum æternum, & Semini ejus sicut  
dies Cœli.

*Antiph.* Dilatavit gloriam populo  
suo, & directa est salus in manu  
ejus.

*Antiph:*

*Antiph.* Dedit illi Dominus gloriam, & exaltavit semen ejus usq; ad terminos terræ.

*Antiph.* Non recedet laus ejus ex ore hominum, qui memores fuerunt virtutis Dei.

*Antiph:* Quasi lux splendens semita ejus processit, & crevit usq; ad perfectum diem.

*R.* Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus.

*R.* Et testamentum suum confirmavit super caput ejus.

### Lectiones secundi Nocturni, ut in Breviario. 96<sup>1</sup>

*R.* V. In omni opere dedit Confessionem Sancto, & excuso in verbo gloriæ. \* Glorificavit eum, & laudavit eum in benedictionibus.

*R.* De omni corde suo dilexit Dominum. Glorificavit.

*R.* VI. Dedit illi Dominus gloriam. \* Et exaltavit semen ejus usq; ad terminos terræ.

*R.* Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictionibus est. Et exaltavit.

*R.* VII. Magnus factus est in terra sua. \* Et præclarus in universo populo.

*R.* Magnus fuit secundum Nomen suum, maximus in salutem electorum Dei. Et præclarus.

*R.* VIII. Dilatavit gloriam populo suo. \* Et directa est salus in manu ejus.

*R.* Lætificavit Jacob in operibus suis, & in sæculum memoria ejus in benedictione. Et directa.

Gloria Patri. Et directa.

### In tertio Noct: Antiphona.

O! Joachim Sancte Conjux Annæ, Pater almæ Virginis, hic famulis confer salutis opem.

*Canticum.* Beatus Vir, qui in sapientia. cum reliquis de Comm: Conf:

*R.* Lex Dei ejus in corde ipsius.

*R.* Et non supplantabuntur gressus ejus.

### In tertio Noct: Lect: ut in Breviario.

*R.* IX. Benedictionem omnia gentium dedit illi Dominus. \* Et testamentum suum confirmavit super caput ejus.

*R.* Non recedet memoria illius, & Nomen ejus requiretur à generatione in generationem. Et testamentum.

*R.* X. Justus germinabit sicut liliu. \* Et florebit in æternum ante Dominum.

*R.* Plantatus in Domo Domini, in atriis Domus Dei nostri. Et florebit.

*R.* XI. Magnificavit eum Dominus in conspectu Regum. \* Et dedit illi coronam gloriæ.

*R.* Statuit illi testamentum æternum. Et dedit illi.

*Lectio XII. de Homilia Dominicæ currentis, cum R.* Si bona.

*Si autem hoc Festum transferri contigerit. R.* ultimum erit. O! Beati Viri Joachim. ut in Comm.

## AD LAUDES.

Et per Horas Antiphona.

**L**Audemus Virum gloriosum in generazione sua, quia benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus. *Psalm.* Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

*Antiph.* Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur.

*Antiph.* Magnus Pater multitudinis gentium, quasi terrae cumulus crevit a mari usque ad mare.

*Antiph.* Dedit illi Dominus gloriam, & exaltavit Semen ejus usq; ad terminos terrae.

*Antiph.* Factum est illi testamentum aeternum, & Semen ejus sicut dies Cœli.

*Capitulum.* Laudemus Viros. *ut in I. Vesperis.*

*R.* br. Benedictionem omnium gentium. \* Dedit illi Dominus. Benedictionem.

*R.* Et testamentum suum confirmavit super caput ejus. Dedit illi. Gloria Patri. Benedictionem.

## HYMNU S.

*Ad Laudes.*

**A**D tuas laudes JOACHIM  
Beate,  
Jungimus nostræ pietatis Hymnum,  
Tu piis dona, petimus benignam,  
Vocibus aurem.

Prolis optatae mora tædiosa,  
Gaudium quodvis Tibi subtrahebat,  
Ac diu; fecit doluisse, Patrem  
Sera Propago,

In DEO tandem quia spem locasti,  
Dulce de Cœlo recipis levamen,  
Dum senex Consors sterilisque gi-  
gnit

Anna MARIAM.

Stirpe Majorum sat in Orbe cla-  
rum

Reddidit virtus magis eminentem;  
Quippe Te Christo fieri propinquum  
Hac meruisti.

O! nimis felix Genitor MARIAE,  
Fer tuis promptum famulis juvamen,  
Esto Protector populo fidelis  
Te veneranti.

Sit DEO Patri, Genitæque Proli  
Laus, honor, sit par Tibi cultus  
Alme

Spiritus; Sacrae Triadi perennet  
Gloria summa.

*R.* Justus germinabit sicut lilyum.

*R.* Et florebit in æternum ante  
Dominum.

## Ad Benedictus, Antiphona.

Dedit illi Dominus gloriam, &  
exaltavit semen ejus usque ad ter-  
minos terræ; non recedet laus ejus  
ex ore hominum, qui memores fu-  
erunt virtutis Dei. Alleluia.

*Oratio.* Deus, qui præ omnibus.  
*ut supra.* Deinde fit Commem: Dom.  
curr:

## Ad Tertiam, Antiphona.

Potens in terra.

*Capitulum.* Laudemus Viros. *ut supra.*

*R.* Benedictionem omnium gen-  
tium dedit illi Dominus.

*R.* Et testamentum suum confir-  
mavit super caput ejus.

Ad

*Ad Sextam, Antiphona.*

Magnus Pater.

*Capitulum. Eccl: 44.*

**I**N generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus, qui de illis nati sunt, reliquerunt Nomen narrandi laudes eorum.

ꝝ. Factum est illi testamentum æternum.

ꝝ. Et semini ejus sicut dies Cæli.

*Ad Nonam, Antiphona.*

Factum est illi.

*Capitulum. Eccl: 44.*

**C**UM Semine eorum permanent bona, Hæreditas Sancta Ne- potes eorum, & in testamento stetit semen eorum.

ꝝ. Justus germinabit sicut lilium.

ꝝ. Et florebit in æternum ante Dominum.

*In II. Vesperis omnia ut in Primis.*

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Dilatavit gloriam populo suo, & directa est salus in manu ejus, la- tificavit Jacob in operibus suis, & in sæculum memoria ejus in benedictione.

*Deinde Comm. Dom. curr.*

**DIE XVIII. SEPTEMB:***In Festo S. Josephi à Cu- pertino Conf: Duplex.*

*Omnia de Comm. Conf: non Ponitis: præter ea, quæ sequuntur.*

*In primis Vesperis ad Magnificat Antiphona. Mortuus sum, & vita mea est abscondita cum Christo in DEO.*

**O R A T I O.**

**D**EUS, qui ad unigenitum Filium tuum exaltatum à terra omnia trahere dispositi, perfice propitius, ut meritis & exemplo Seraphici Confessoris tui Josephi, supra terrenas omnes cupiditates elevati, ad eum pervenire mereamur. Qui tecum vivit & regnat. &c.

*In primo Nocturno.*

De Epistola secunda Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

**L E C T I O I.**

*Cap. 4. v. 6. ad 12.*

**D**EUS, qui dixit de tenebris lu- cem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminati- onem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Jesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus, ut sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribula- tionem patimur, sed non angu- stiamur: aporiamur, sed non desti- tuimur:

tuimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: dejicimur, sed non perimus: semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum: ut & vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.

R. Euge serve bone.

## LECTIO II.

*Cap. 5. v. 1. ad 9.*

**S**Cimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificatiōnem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in Cœlis. Nam & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de Coelo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inveniamur. Nam & qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus gravati: eò quod nolumus expoliari, sed supervestiri; ut absorbeatur, quod mortale est, à vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus spiritus. Audentes igitur semper, scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino: (Per fidem enim ambulamus, & non per speciem.) Audemus autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes esse ad Dominum.

R. Justus germinabit.

## LECTIO III.

*Cap. 12. v. 1. ad 10.*

**S**I gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad vi-

siones & revelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium Cœlum. Et scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus nescio, Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum; & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro hujusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis.

R. Jste cognovit justitiam.

## LECTIO IV.

**N**Am & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem autem dicam: parco autem, ne quis me existimet supra id, quod vider in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me; & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.

R. Domine prævenisti.

*In secundo Nocturno.*

## LECTIO V.

**I**osephus à Cupertino Oppido in Salentinis, Diœcesis Neritonensis, Anno reparatæ salutis millesimô, sexcentesimô tertio, piis ibidem

dem Parentibus ortus, Deique amore præventus pueritiam atque adolescentiam summa cum simplicitate morumque innocentia transegit. A diurno molestoque morbo patientissimè tolerato Deiparæ Virginis ope liberatus, se totu[m] pietatis operibus, ac excolendis virtutibus dedit: utque Deo ad majora vocantis intimius conjungeret. Ordini Serafico nomen dare constituit. Post varios eventus voti tandem compos factus, apud minores Conventuales in Cænobio Criptulæ, inter Laicos primum, ob literarum impenitiam, deinde inter Clericos Divina dispositione connumeratus est. Sacerdotio post solemnia vota initiatus, perfectius sibi vitæ institutum proposuit. Quamobrem mundanis quibuscumque affectibus, terrenisque rebüs penè ad vitam necessariis illico à se abdicatis, ciliicis, flagellis, catenis omni demùm asperitatum ac penarum genere corpus affixit, spiritum vero sanctæ orationis, altissimæque contemplationis assiduitate dulciter enutravit. Hinc factum est, ut charitas Dei, quæ jam erat in ejus corde à prima ætate diffusa, miro planèque singulari modo in dies coruscaverit.

*R. Honestum fecit.*

## LECTIO VI.

**E**LUXIT præcipue ardentissima ejus charitas in extasibus ad Deum suavissimis, stupendisque raptibus, quibus frequenter afficiebatur. Miserum autem, quod alienato à sen-

sibus animo statim ab extasi eum revocabat sola obedientia. Hanc quippe virtutem eximio studio prosequebatur; dicere solitus, se ab ea veluti cæcum circumduci, & mori potius velle, quam non obedire. Paupertatem vero Seraphici Patriarchæ ita æmulatus est, ut morti proximus Prælato suo asserere verè potuerit, se nihil habere, quod more religiosorum resignaret. Itaque mundo, sibique mortuus vitam Jesu manifestabat in carne sua, quæ dum in aliquibus ex turpitudine obscenum flagitium sentiebat, prodigiosum de se efflabat odorem, indicium nitidissimæ illius puritatis, quam immundo spiritu vehementissimis temptationibus frustra obnubilare diu conante, servavit illæsam, tum arcta sensuum custodia, tum jugi corporis maceratione, cum denique speciali protectione purissimæ Virginis Mariæ, quam Matrem suam appellare consuevit, ac veluti Matrem dulcissimam intimo cordis affectu venerabatur, eamq; ab aliis venerari exoptabat, ut cum ejusdem patrocinio, sicut ipse ajebat, omnia bona consequerentur.

*R. Amavit eum Dominus.*

## LECTIO VII.

**H**ÆC Beati Josephi sollicitudo à sua erga proximos charitate prodibat; tanto enim animarum zelô exardebat, ut omnium salutem modis omnibus instantissimè procuraret. Extendens pariter charitatem suam in proximum sive pauperem, sive infirmum, sive quaunque alia tri-

tribulatione vexatum , quantum in ipso erat , illum recreabat . Nec alieni erant ab ejus charitate , qui objurgationibus , probris , omnisque generis injuriis ipsum appeterent ; nam eadem patientia , mansuetudine , vultusque hilaritate talia excipiebat , qua tot inter , ac tantas vicissitudines resplenduit , dum vel Moderatorum Ordinis , vel Sacrae inquisitionis jussu , hac , illac errare , versarique coactus est .

*R. Iste homo.*

## LECTIO VIII.

**Q**UAMQUAM VERO populi non solum , sed Viri Principes eximiam ejus sanctitatem , & superna charismata admirarentur , ea nihilominus erat humilitate , ut magnum se peccatorem reputans , Deum enim deprecaretur , ut sua ab eo illustria dona removeret ; homines vero exoraret , ut in eum locum mortuum ejus corpus injicerent , ubi memoria sui esset prorsus oblitterata . At Deus , qui ponit humiles in sublime , quique servum suum , dum viveret , cœlesti sapientia , prophecia , cordium perscrutatione , curationum gratia , cæterisque donis cumulatissime exornaverat , ejus quoque mortem iis , quibus ipse antea prædixerat , loco ac tempore , anno ætatis sue sexagesimo primo Auximi in Piceno pretiosam reddidit , sepulchrumque gloriosum . Illum denique etiam post obitum miraculis coruscantem Benedictus Quartus decimus Beatorum ; Clemens Tertius decimus Sanctorum fastis adscripsit :

ejus autem Officium & Missam Clemens Quartus decimus ejusdem Ordinis ad universam Ecclesiam extendit .

*R. Desiderium animæ.*

*In III. Nocturno.*

## Lectio Sancti Evangelii secundum Mathæum.

### LECTIO IX. Cap: 22.

**I**N illo tempore : Loquebatur Jesus Principibus Sacerdotum & Pharisæis in parabolis dicens : Simile factum est Regnum Cœlorum homini Regi , qui fecit nuptias filio suo . Et reliqua .

*Homilia S. Gregorii Papæ.*

*Lib. 2. Homiliar. Hom. 38. circa med.*

**Q**UIA JAM , largiente Domino , Nuptiarum Domum , id est Sanctam Ecclesiam , intrastis , solerter , Fratres , aspicite , ne aliquid de mentis vestre habitu Rex ingrediens reprehendant . Cum magno enim cordis timore pensandum est , quod protinus subditur : Intravit autem Rex , ut videret discubentes , & vidit ibi hominem non vestitum ueste nuptiali . Quid , Fratres charissimi , exprimi per nuptialem uestem putamus ? Si enim uestem nuptialem baptismum , vel fidem dicimus , quis sine baptisme & fide has nuptias intravit ? Eo enim ipso foris est , qui necdum credidit . Quid ergo debemus intelligere nuptialem

vestem, nisi charitatem? Intrat enim ad nuptias, sed cum nuptiali veste non intrat, qui in Sancta Ecclesia assistens fidem habet, sed charitatem non habet. Recte enim charitas nuptialis vestis vocatur, quia hanc in se Conditor noster habuit, dum ad sociandas sibi Ecclesias nuptias venit.

R. Iste est, qui ante Deum.

### LECTIO X.

**S**ola quippe dilectione Dei actum est, ut ejus unigenitus mentes sibi electorum hominum uniret. Unde & Joannes dicit: Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum Unigenitum daret pro nobis, qui ergo per charitatem venit ad homines, eandem charitatem innotuit vestem esse nuptialem. Omnis ergo vestrum, qui in Ecclesia positus Deo creditit, jam ad nuptias intravit: sed cum nuptiali veste non venit, si charitatis gratiam non custodit. Et certe Fratres, si quis ad carnales nuptias esset invitatus, vestem mutaret, congaudere se Sponso & Sponsa ex ipso sui habitus decore ostenderet, inter gaudentes, & festa celebrantes despectis vestibus apparere erubesceret. Nos ad Dei nuptias venimus, & cordis vestem mutare dissimulamus. Congaudent Angeli, cum ad Cœlum assumuntur electi, Qua ergo mente haec Spiritualia Festa conspicimus, qui nuptialem vestem, id est charitatem, quæ sola nos speciosos exhibit, non habemus.

R. Sint lumbi vestri.

### LECTIO XI.

**S**ciendum verò est, quia sicut in duobus lignis, superiore vide-licet & inferiore, vestis texitur: ita in duobus præceptis charitas habetur, in dilectione scilicet Dei, & proximi. Scriptum quippe est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, & proximum tuum, sicut te ipsum.

R. Beatus vir.

### LECTIO XII.

**Q**ua in re notandum est, quia in dilectione Proximi mensura amoris ponitur, cum dicitur: Diliges Proximum tuum, sicut te ipsum. Dei autem dilectio nulla mensura constringitur, cum dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota virtute tua. Non enim jubetur quisque quantum diligat, sed ex quanto, cum dicitur, ex toto: quia ille veraciter Deum diligit, qui sibi de se nihil relinquit. Duo ergo, necesse est, ut charitas præcepta custodiat, quisquis habere in nuptiis vestem nuptialem curat.

R. O Beati Viri.

### Lectio S. Evangelii Secundum Mathæum.

**I**n illo tempore: Loquebatur Jesus Principibus Sacerdotum, & Pharisæis in Parabolis dicens: Simile factum est Regnum Cœlorum homini

homini Regi , qui fecit nuptias filio suo. Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias: & nolebant venire. Iterum misit alios servos dicens: Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi , tauri mei, & altilia mea occisa sunt, & omnia parata , venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt , & abierunt aliis in villam suam , aliis vero ad negotiationem suam : reliqui vero tenuerunt servos ejus , & contumeliis affectos, occiderunt. Rex autem cum audisset , iratus est : & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos , & civitatem illorum succendit. Tunc ait servis suis: Nuptiae quidem paratae sunt: sed qui invitati erant , non fuerunt digni. It ergo ad exitus viarum , & quoscunque inveneritis , vocate ad nuptias. Et egressi servi ejus in vias , congregaverunt omnes , quos invenerunt , malos & bonos , & impletæ sunt nuptiae discubentium. Intravit autem Rex ; ut videret discubentes: & vidit ibi hominem non vestitum ueste nuptiali. Et ait illi: Amice , quomodo hic intrasti non habens uestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit Rex ministris: ligatis manib⁹ & pedib⁹ mittite eum in tenebras exteriores. Ibi erit fletus , & stridor dentium. Multi enim sunt vocati , pauci vero electi.  
Oratio ut supra.

*Ad Benedictus Antiphona.*

Ostendit mihi Dominus fluvium aquæ vivæ , splendidum tanquam crystallum procedentem de sede Dei & Agni.

*In secundis Vesperis ad Magnis: Antiph. Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam JESU Christi Domini mei.*

**DIE XXVI. SEPTEMB:**

*In Festo Sancti Josaphat Episcopi & Martyris.*

*Duplex.*

*Omnia de Communi unius Martyris.*

**O R A T I O.**

**O**Mnipotens sempiternæ DEUS , qui Beatum Josaphat palma Martyrii condecorando , Ecclesiæ Catholicæ novum apud Te intercessorem providisti , quæsumus , ut ejus meritis & auxilio à malis omnibus liberati , tuo nomini studiosius serviamus. Per Dominum.

*In primo Nocturno Lectiones. A Mileto. In secundo & tertio Noct: de Com. 2do loco.*

**DIE XXVII. SEPTEMB:**

*In Festo Translationis Sancti Stanislai Episc: Mart:*

*Duplex.*

*Omnia ut in ipso die Festo S. Stanislai VIII. Maji. exceptis Lectionibus. In primo Nocturno leguntur: A Mileto. de Comm. unius Mart: nisi occurrant dicende de Dominica præcedenti. Responsoria leguntur de Comm: unius Martyr: extra tem-*

*pus.*

pus Pasch: præter propria Respon:  
ut in ejus Festo. fol: 40.

In secundo Nocturno.

### LECTIO V.

**E**cce enim Stanislaus computatus est inter Filios Dei, & inter Sanctos sors illius est. Honorificavit eum Pater æternus, qui in Cœlis est: centuplum accepit in hac vita, & vitam æternam possedit. Nam qui vivus cæcis viam demonstrabat, mortuus cæcos illuminavit: qui vivus unum solum mortuum, magna nostri orbis admiratione, à mortuis excitavit, mortuus plures de sorte mortis sustulit: qui vivus ferro Boleslai cessit, mortuus universos exercitus, atque acies integras, piorum Regum Patronus & adiutor, gentisque suæ amator, fugat. Itaque cum locus ille, ubi depositus fuit, populi frequentiam, quæ illuc opis causa confugiebat, continere non posset, Lambertus hujus nominis tertius, Successor ejus, & princeps Vladislaus, divinis visionibus admoniti, ossa Sancti odorem suavissimum spirantia, sanctè, ac reverenter in primarium Templum Cracoviense Sancti Veneslai tum dictum, transferunt. Sic suo altari Pontifex, Cathedræ Doctor, Templo Episcopus, Populo Pastor, post decennium restituitur.

### LECTIO VI.

**P**ost centum tandem, & septuaginta annos excitat Dominus

Spiritum Prandotæ Episcopi Cracoviensis, Viri Sancti, Boleslai item Ducis, cum sua Conjuge Kinga fæmina castissima. Qui miraculis S. Episcopi collectis, & fide publica tanquam igne probatis Legatos ad Innocentium IV. Summum Pontificem mittunt: atque ut tantum Virm in numerum Sanctorum referre velit, diligenter precantur. Fit consultatio Assisii, ubi tum forte erat Summus Pontifex. Inter alios tum unus adversabatur causæ Divi Stanislai Reinholdus Cardinalis Ostiensis, Vir primæ auctoritatis: incidit hic in gravem & lethalem morbum: cui in somnis apparet Divus Stanislaus, indignè illum facere docens, qui Dei resistat voluntati: excitatur senex Divo commendat, convalescit, causam antea oppugnatam tuetur. Fit summus consensus omnium: Episcopus Sanctus inter Martyres refertur.

### LECTIO VII.

**C**ontigerat Deo ita ordinante, inter ipsam rem sacram, ut mortuus adolescens à Matre in illud templum Divi Francisci dictum, deduceretur. Pontifex Deum supplex precatur, ut novo miraculo Sanctum suum confirmet: erigit se subito adolescens: fit ingens lætitia omnium. Summus Pontifex pro suggestu gratias Deo agit: Martyrem luculentissima oratione celebrat: diem VIII. Iudis Maji memoriae ejus solemnem assignat.

L E-

## LECTIO VIII.

**R**edeunt Legati cum ingenti lætitia, annuntiantes, quanta Deus fecit cum Martyre suo. Prandota Episcopus ossa Sancti ex pulvere terræ sublevat, eaque pro more solito in altari condit, Boleslao Rege pudico, ac Regina pudicissima, cæterisque Episcopis ac Ducibus Regni & vicinarum Provinciarum assistentibus. Et factum est in illa die gaudium magnum: benedixitque Dominus novissimis Stanislai, magis quam principio ejus.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem. Cap: 10.

## LECTIO IX.

**I**n illo tempore: Dixit JESUS Pharisæis: Ego sum Pastor bonus; bonus Pastor animam suam dat proximis suis. Et reliqua.

Homilia Sancti Basilii Episcopi.

**Q**uomodo cùm magna dicit: Ego manu mea firmavi terram: ego produxi Cœlos solus: quomodo cùm alia dicit, quæ digna sunt dici de Deo, sic dicit: Ego sum Pastor bonus. Arcet degeneres, & veritatem sibi ipsi vendicat: Ego sum Pastor ille bonus. Disce, quis sit Pastor? & quis sit bonus ille. Ipse hoc interpretatur: Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis: mercenarius vero, & qui non est

Pastor, cuius non sunt oves propriæ, illi nihil est curæ, quando lupum venientem videt. Hic querit Ecclesia: si Dominus Pastor est, quis sit mercenarius pastor? Num diabolus? Et si diabolus mercenarius pastor est, quis sit lupus? At lupus diabolus est, bestia immanis, rapax, insidiosa, communis omnium hostis. Habeat itaque propriam appellationem, mercenarius pastor.

## LECTIO X.

**T**unc quidem mercenarios Pastores Dominus vocavit, ad eos conversus, qui tunc erant, sunt vero & nunc (quod minimè vellem) qui, non ut prosint ovibus, pastores agunt: quibus propriè merceniorum appellatio convenit. Tunc Principes Sacerdotum notabantur, & Pharisæi, & tota illa secta Judaica: illos dixit mercenarios esse pastores; qui non veritatis, sed quæstus sui gratiâ pascendi potestatem usurparant: qui vano prætextu preicationibus instabant, ut panem comedenter viduarum & orphanorum. Mercenarii sunt, qui proprium compendium curant. Qui præsentia sectantes, ad futura non aspiciunt, mercenarii sunt, non pastores.

## LECTIO XI.

**E**t cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Quid vocat cognoscere? Oves meæ, inquit, vocem meam audiunt, ecce quomodo cognoscatur Deus, ex eo, quod præcepta illius audimus: ex eo, quod

quod illa audientes opere adimplemus. Hæc demum est cognitio Dei, observantia videlicet præceptorum Dei; non inanis illa curiositas, non essentia Dei, & supramundanorum investigatio, non rerum invisibilium consideratio. Satis tibi sit, scire pastorem esse bonum, animam suam posuisse pro ovibus. Quantus vero sit Deus, & quæ illius mensura, & qualis essentia; talia sciscitanti sunt periculosa, ei autem, qui rogatur, perplexa: & talium medicina est silentium.

*R. O venerandam.*

## LECTIO XII.

**Q**ui vero nostram hanc panegyrim congregavit, nos custodiat indemnes, illasos, & à lupi rapacitate securos, Ecclesiam hanc immotam, ac magnis Martyrum turribus munitam, conservet: omnes furentium hæreticorum insidias, & incursus, in tranquillitate ac silento avertat: nobis vero donet, ut Divina oracula discamus & doceamus, subministrata à Spiritu Sancto gratiâ: cui cum Patre & Filio sit gloria & imperium, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

*R. Pastor cadit.*

*Evangelium & Oratio, ut supra in die Festi. fol: 39.*

## DIE XXVIII. SEPTEMB:

*In Festo S. Venceslai Regis & Mart: Duplex.*

*Omnia dicuntur, prout in Translatione ejusdem. Die V. Mart: fol: 13.*

## DOMINICA PROXIMA

Post Festum S. Mathæi Apostoli.

*In Festo B. Ladislai de Gielniow Confessoris. Duplex rime Classis.*

*Omnia de Comm: Conf: non Pontif: præter ea, quæ sequuntur.*

*In primo Nocturno Lectiones. Beatus Vir. de Comm: Conf: non Pontif: 2do loco.*

*In secundo. Nocturno.*

## LECTIO V.

**L**adislaus in Oppido Gielniow Dioecesis Gnesnensis in Polonia natus, mira vitæ innocentia pueritiam transegit. Adhuc Adolescens in Ordine Fratrum Minorum Observantium S. Francisci, quorum antiquam disciplinam S. Joannes à Capistrano non diu ante in Polonia propagaverat, solemnia vota nuncupavit.

## LECTIO VI.

**J**N arrepta religiosæ perfectionis via, ita profecit, ut absolutæ sanctitatis exemplar videretur. Assiduus jejuniis & vigiliis corpus subegit, orationis & contemplationis gratiâ, charitate, aliisque Religiosi hominis virtutibüs maximè enuit, ac regularem imprimis observantium ardenti zelō promovit.

## LECTIO

**LECTIO VII.**

CUM cæteris zelo, sanctitate ac doctrina præluceret, ad regimen sui Ordinis assumptus est, saepe custodis Conventus Varsaviensis, & Vicarii Provinciae Polonæ munus summa cum laude obivit. Divini verbi prædicationi operam navavit egregiam. Præ aliis autem virtutibus, obedientiæ, ac propriæ voluntatis abdicationem maximè coluit; cum ei optio Cœnobii datur, & Socii, qui famularetur, è Superiorum nutibus pendere se velle professus est. Singulari pietate ac devotione erga Christi Domini Passiōmem afficiebatur, quæ tam alè ipsius menti hærebat, ut illius memoriam suis in concionibus nunquam omitteret.

**LECTIO VIII.**

SACRÔ Parasceves die cùm de Dominica Passione ad Populum concionem haberet, eique Christi dolores, & cruciatus præ oculis ponneret, Sacratissimum Nomen JESUS ingeminans, in extasim raptus est, & super ambonam universo spectante populo elevatus. Mox languore correptus plenus meritis, ac omnibus Ecclesiæ Sacramentis, rite sanctèque refectus, migravit ad Dominum, Quarto Nonas Maji, Annô millesimô quingentesimô quintô, & in Ecclesia sui Ordinis Varsaviæ sepultus est. Ejus merita & Sanctitatem statim post mortem miraculis Deus confirmavit, præsentemque in suis calamitatibus opem

agnoscentes Poloni & Lithuani inter suos primarios Patronos Beatum Ladislauum adlegerunt. Ipsi cultum Summus Pontifex Benedictus XIV. ratum habuit, & Apostolica authoritate amplificavit.

*In III. Noct. Homilia in Evangelium. Nolite timere. ut in Festo S. Joannis de Dukla. fol. 57.*

**DIE I. OCTOBRIS.**

*In Festo S. Mariæ de Cervellione Virginis. Duplex.*

*Omnia de Comm. Virginum, præter ea, quæ hic sequuntur.*

**ORATIO.**

DEUS, qui nos conspicias in tot periculis constitutos pro nostra fragilitate non posse subsistere: concede propitius, ut intercedente Beata Maria famula, tua de præsentis vitæ fluctibus educti, ad æternæ salutis portum pervenire valeamus. Per Dominum.

*In I. Noct. Lect. De Virginibus. ut in Comm. Virginum. Si vero inciderit in Domin: erunt Lect: de Dominicâ.*

*In secundo Nocturno.*

**LECTIO V.**

MARIA nobili familia de Cervellione in Hispania nata, & à Parentibus in Dei timore primis annis enutrita, virginitatem suam cum decem & octo esset annorum illi

illi devovit; ejus vivendi ratio erat, in publicum rariū prodire, & agrotantibus domesticis sedulo adesse, & in nosocomio ter in hebdomada pauperibus ministrare. Annū trigesimum agens, defuncto Patre, habitum Ordinis Sanctæ Mariæ de Mercede prima ex fæminis suscipiens, Sanctimoniis ejusdem Ordinis Duce, Magistram, & exemplar se præbuit, ac distributō Patrimonio in redemptionem Captivorum professionem in eodem Ordine, unā cum voto delaborandi pro redimendis Captivis, emisit.

### LECTIO VI.

**M**atre è vivis sublatā, cum ali-  
quot honestis fæminis ejusdem Instituti, piam sanctamque  
vitam peregit; solita quotidie mu-  
llierum à suis Fratribus redempta-  
rum, ac Barcinonem adyenientium  
pedes in hospitali domo lavare: quin-  
quies in hebdomada Sacra Eucha-  
ristia refici, terque jejunare, solo  
pane, & aqua contenta, quotidiana-  
nī flagellis insuper, & ferrea cate-  
na corpus suum affligens.

### LECTIO VII.

**S**ilentium, quod mira observantia  
colebat, inanibus verbis nun-  
quam infregit, ac parcijus indul-  
gens somno, expetebat ab hujusmodi  
necessitate liberari, ut illo solo fru-  
eretur incessanter, quo jucundantur  
Cœli, & Angeli lætantur; quod di-  
urni temporis superabat ab oratione  
& pietatis exercitiis, in pauperes ju-

vandos impendebat; nullum Officii  
genus prætermittens, quo afflictos  
consolaretur, oppressos liberaret, &  
vinctos educeret de carceribus.

### LECTIO VIII.

**F**uturas maris tempestates præ-  
nuntiabat, illasque sæpe suis  
Orationibus sedavit, visa aliquoties  
super undas incedere, quo Fratres  
captivorum Redemptores, aliosque  
in mari periclitantes servaret in-  
columes; unde ei Maria de subsi-  
dio, vulgo de Socos, nomen est in-  
ditum. Denique post multa virtu-  
tum insignia, Barcinone migravit  
ad Dominum, Decimo tertio Kalen-  
das Octobris, Annō salutis mille-  
simō ducentesimo nonagesimō. Ejus  
corpus, ex quo suavissimus odor ma-  
nabat, sepultum est in Ecclesia Fra-  
trum Ordinis sui, quod nonagesi-  
mō post annō, Episcopo Barcino-  
nensi, Petro Aragoniæ Rege, cœ-  
terisque Aulae, & Civitatis Prima-  
titibus adstantibūs solemni pompa e-  
levatum, incorruptum repertum fuit,  
ac decentiori loco, ubi religiosè  
colitur, asservatum.

*In III. Nocturno Homilia in E-  
vangelium. Simile erit Regnum Cœ-  
lorum decem Virginibus. de Comm.  
Virg.*

*Missa. Dilexisti,*

DIE

## DIE X. OCTOBRIS.

*Officium Gratiarum actionis  
pro Victoria ex Turcis*

*Anno MDCXXI. eodem die  
obtenta. Duplex majus.*

*Ad Vesperas Antiphonæ.*

Cantemus Domino. cum reliquis  
de Laudibus. Psalmus. Dixit Do-  
minus. Cum reliquis de Dominica.

*Capitulum. 2. Cor: 1.*

Benedictus DEUS, & Pater Do-  
mini Nostri JESU Christi, Pa-  
ter misericordiarum, & Deus totius  
consolationis, qui consolatur nos in  
omni tribulatione nostra.

¶. br. Adorabant Sancti \* Vi-  
ventem in saecula. Adorabant.

¶. Et mittebant coronas suas ante  
Thronum Dei. Viventem.

Gloria Patri. Adorabant.

*HYMNUS.*

Superne Regum Rex bone,  
Fons pacis & victoriae,  
Deus Pater sperantium,  
Ultor suberbientium.  
Ad iussa cuius turgidae  
Maris procellæ subsident,  
Jras leones exuunt,  
Sol stat stupens, nec se movens.

Quo fulgorante desuper  
Gentes feroce expavent,  
Hostes tremunt, mali fremunt,  
Bonii triumphant gaudiō.

Tu Barbaros, Osmanicos  
Apros, fugas è Vinea  
Poloniae, Regnum Tuæ,  
A clade dira vindicans.

Ergo Tuo Celsissimo  
Sit nomini laus, gloria,  
Qui trinus ac unus Deus,  
Per sæcla vivis omnia. Amen.  
¶. Sancti per fidem fortis facti  
sunt in bello.

¶. Castra verterunt exterorum.

*Ad Magnificat Antiphonæ.*

Benedictus Dominus Deus Noster,  
qui docet manus nostras ad præ-  
lrium, & digitos nostros ad bellum.

*ORATIO.*

DEUS, qui in summis Regni no-  
stri periculis antiqua brachii  
tui miracula renovasti: suscipe gra-  
tiarum actiones exultantium popu-  
lorum, & quibus tanti gaudii cau-  
sam præstitisti, perpetuae fructum  
concede lætitiae. Per Dominum no-  
strum.

*Ad Matutinum, Invitat:*

Regem, qui redimit de interitu  
vitam. \* Venite adoremus. Psal-  
mus. Venite exultemus.

Hymnus. Superne Regum. ut in  
Vesp:

*In primo Nocturno.*

Antiph: Fortitudo mea, & laus  
mea Dominus, & factus est mihi  
in salutem.

Psalm. Domine Dominus Noster.  
cum reliquis ut in Festo SSS. Trin.  
M2 Anti-

*Antiphona.* Dignus es Domine accipere gloriam, honorem, & virtutem. *Psalm.* Cœli enarrant.

*Antiph.* Tua est Domine magnificientia & potentia, gloria atque victoria. *Psalm.* Domini est terra.

*Antiph.* Dominus virtutem populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace.

*Psalm.* Afferte Domino.

*Antiph.* Ecce oculi Domini super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus.

*Psalm.* Exultate justi in Domino.

*Antiph.* Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.

*Psalm.* Deus noster refugium & virtus.

ꝝ. Benedic anima mea Domino.

ꝝ. Et omnia, quæ intra me sunt, Nomini Sancto ejus.

## LECTIO I. Cap: 15.

De Libro secundo Machabæorum.

**E**T Nicanor quidem cum summa superbia erectus, cogitaverat commune trophyum statuere de Juda. Machabæus autem semper confidebat cum omni spe auxilium sibi à Deo affuturum: & horribatur suos, ne formidarent ad adventum Nationum, sed in mente haberent adjutoria sibi facta de Cœlo, & nunc sperarent ab Omnipotente sibi affuturam victoriam. Et allocutus eos de Lege & Prophetis, admonens etiam certamina, quæ fecerant prius, promptiores constituit eos, & ita animis eorum erectis, simul ostendebat Gentium

fallaciam, & juramentorum prævaricationem. Singulos autem illorum armavit, non clypei & hastæ munitione, sed sermonibus optimis, & exhortationibus. Exhortati itaque Judæ sermonibus bonis valde, de quibus extolli posset impetus, & animi juvenum confortari, statuerunt dimicare & configere fortiter, ut virtus de negotiis judicaret.

ꝝ. Facile est concludi multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu Dei Cæli \* Liberare in multis & in paucis.

ꝝ. Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de Cœlo fortitudo est. Liberare,

## LECTIO II.

**E**T cùm jam omnes sperarent iudicium futurum, hostesque adessent, atque exercitus esset ordinatus, equitesque opportuno in loco compositi, considerans Machabæus adventum multitudinis, & apparatum varium armorum, & ferocitatem bestiarum, extendens manus in Cœlum, prodigia facientem Dominum invocavit, qui non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam. Dixit autem invocans hoc modo: Tu Domine, qui misisti Angelum tuum sub Ezechia Rege Juda, & interfecisti de castris Senacherib centum octoginta quinque millia; & nunc dominator Cœlorum, mitte angelum tuum bonum ante nos in timore, & tremore magnitudinis brachii tui, ut metuant, qui cum blasphemia veniunt ad-

ver-

versus Sanctum populum tuum.  
¶. Quis similis tui in fortibus  
Domine, quis similis tui? Magnificus  
in Sanctitate. \* Terribilis atque  
laudabilis, & faciens mirabilia.

¶. Dux fuisti in misericordia po-  
pulo, quem redemisti. Terribilis.

### LECTIO III.

**N**icanor autem, & qui cum eo erant, cum tubis, & canticis admovebant: Judas vero, & qui cum ipso erant, invocato Deo, per orationes congressi sunt: manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostraverunt non minus triginta quinque millia, praesentia Dei magnifice delectati.

¶. Procidebant viginti quatuor Seniores ante sedentem in Throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum. \* Et mittebant coronas suas ante Thronum.

¶. Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, honorem, & virtutem. Et mittebant.

### LECTIO IV.

**C**umque cessassent, & cum gaudio redirent, cognoverunt Nicanorem ruisse cum armis suis. Facto itaque clamore & perturbatione excitata, patria voce Omnipotentem Dominum benedicebant. Itaque omnes communi consilio decreverunt: nullo modo diem istum absque celebritate præterire.

¶. Gloria Patri, genitæque Proli, & tibi compar utriusque semper Spiritus alme, DEUS unus. \* Omni-

¶. Da gaudiorum præmia, da gratiarum munera, dissolve litis vincula, astringe pacis fœdera. Omni.

¶. Gloria Patri. Omni.

### In Secundo Nocturno.

*Antiph.* Adonai Domine, magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem superare nemo potest.

*Psalm.* Omnes Gentes.

*Antiph.* Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de Cœlo fortitudo est.

*Psalm.* Magnus Dominus.

*Antiph.* Vir obediens loquetur victoriæ, vir impius procaciter obfirmit vultum suum.

*Psalm.* Deus, judicium tuum.

*Antiph.* Edificavit Moyses altare, & vocavit nomen ejus, Dominus exaltatio mea.

*Psalm.* Cantate Domino canticum novum: Cantate.

*Antiph.* Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi.

*Psalm.* Dominus regnavit.

*Antiph.* Dominum formidabunt adversarii ejus, & super ipsos in cœlis tonabit.

*Psalm.* Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia.

¶. Iste Deus meus, & glorificabo eum.

¶. Deus Patris mei, & exaltabo eum.

### LECTIO V.

**S**igismundo tertio Rege, Osmanus Turcarum tyrannus immensis ex Europa, Asia, Africa con-

tra-

tractis copiis, Tartarorum etiam Principe, qui longe majorem justo ducebat exercitum, in belli societatem accito, Reipublicæ Christianæ vastitatem atque excidium minitans, in Polonię movit. Tanti adventantis hostis famam minimè consternatus Sigismundus, cum sciret non in multitudine exercitus victorię, sed de Cœlo esse fortitudinem, ope divina suppliciter implorata, Dei Genitricę, Regnique Patronis conciliatis, fortiter constanterque bellum suscepit.

R. Tu venis ad me cum gladio & hasta, & clypeo: \* Ego autem venio ad te in nomine Domini exercitum.

¶. Dabit te Dominus in manu mea & percutiam te, & auferam caput tuum. Ego autem.

### LECTIO VI.

PRAEmissus ad fines Polonię non maximo numero exercitus, qui hostem sustineret, dum Sigismundus omnem Regni nobilitatem trahens adveniret, Castra in hostilidatione ad Chocimum posita, ut bellum potius inferre, quam illum repellere Poloni viderentur.

R. Persequebatur unus mille: \* Et duo fugabant decem millia.

¶. Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos. Et duo.

### LECTIO VII.

DEcies, & quidem comite semper victoria, acie pugnatum: toties à castrorum oppugnatione in-

genti cum clade rejectus hostis, toties erupere nostri feliciter, Turcarum stationes prosperè toties incursavere; ut Dominum exercituum à nobis stare apertissimè pateret.

R. Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine: \* Dextera tua Domine percussit inimicum.

¶. In multitudine gloriae tuæ deposuisti adversarios tuos. Dextera tua.

### LECTIO VIII.

FRACTA tandem tot cladibus inflictis Osmani contumacia: cum se frustra adversus Deum pugnare intellexisset, ad ipsos Polonię fines eodem in loco mensem integrum, eoque amplius haesisset inglorius, sexaginta militum millia causa desideraret, majorem longe numerum belli incommoda absumpsissent, stratos suorum cadaveribus undique campos cerneret, ipse jam Sigismundus cum Polonię flore majoribus copiis immineret, qui bellum intulerat, pacem expetiit, acceptisque conditionibus Sexto Iudicio Octobris prior castra movit, ex appetita armis Polonia nihil omnino, praeter ignominiam, & dedecus reportaturus. Is dies in tanti beneficii memoriam, ut Deo sacer, festusq; Polonię, ac solemnis perpetuo in posterum foret, Sigismundus ipse Rex, Regnique Antistites à Gregorio Quintodecimo impetravere: mox Vladislao, qui Parenti successerat, & in castris belli tempore fuerat; ut proprio ac peculiari officio ad gratias agendas accommodato, Horas Canonicas eodem die Polo-

Polonia Persolveret , Urbanus Octavus indulxit.

¶. Honor, virtus, & potestas, & imperium sit Trinitati in Unitate, & Unitati in Trinitate. \* In perenni sæculorum tempore.

¶. Benedictat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. In perenni. Gloria Patri. In perenni.

### *In tertio Nocturno.*

*Antiph.* Dominus quasi Vir pugnator, Omnipotens Nomen ejus. *Canticum.* Cantemus Domino. *ex Feria quinta,* quod dividatur in tres Glorias. ut in Psalterio.

¶. Benedic anima mea Domino.

¶. Domine Deus meus, magnificatus es vehementer.

*Homilia S. Gregorii in Evang:* Cum audieritis prælia. de Communi plurimorum Martyrum.

¶. IX. Reddidit Dominus justis mercedem laborum suorum, & deduxit eos in via mirabili. \* Et fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem.

¶. Transtulit illos per mare Rubrum, & transvexit eos per aquam nimiam. Et fuit.

¶. X. Justi tulerunt spolia impiorum, & decantaverunt Domine Nomen Sanctum tuum. \* Et victricem manum tuam laudaverunt pariter.

¶. Sapientia aperuit os mutorum & linguas infantium fecit disertas. Et victricem.

¶. XI. Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu. \* Laudemus & superexaltemus eum in sæcula.

¶. Benedictus es Domine in firmamento Cœli, & laudabilis, & gloriosus in sæcula. Laudemus.

¶. XII. Te Deum Patrem ingenuum, Te Filium unigenitum, Te Spiritum Sanctum Paraclitum, Sanctam & individuam Trinitatem, toto corde & ore confitemur, laudamus, atque benedicimus. \* Tibi gloria in sæcula.

¶. Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus solus. Tibi gloria in sæcula.

¶. Gloria Patri. Tibi.

*Evangelium,* de Comm. plurim. *Martyr.* Cùm audieritis.

*Oratio.* Deus, qui in summis. ut supra.

### **AD LAUDES.**

*& per Horas Antiphona.*

**C**Antemus domino, gloriösè enim magnificatus: equum & ascensem deject in mare.

*Psalm.* Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

*Antiph.* Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua percussit inimicum.

*Antiph.* Arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore.

*Antiph.* Justi decantaverunt Domine Nomen Sanctum tuum, & victricem manum tuam laudaverunt pariter.

*Antiph.* Ego autem in Domino gaudabo, & exultabo in Deo JESU meo.

*Capitulum.*

**B**enedictus Deus, & Pater Domini Nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

*R. br.* Justi decantaverunt Domine. \* Nomen Sanctum tuum. Justi.

*v.* Et victricem manum tuam laudaverunt pariter. Nomen.

*v.* Gloria Patri. Justi.

**H Y M N U S.**

**R**ex magne, Rex altissime,  
Virtutis è Throno Tuæ  
Æternitatem partiens,  
Et Regna mundi transferens.  
Quàm sunt inaccessæ Tui  
Profunditates consilii!

Ut est procul Cœlum solo,  
Arcana sic procul tua.

Thrax en furoris ferrea,  
Qui virga Divini fuit,  
Nunc ipse poenas acriter  
Jussu tuo demens luit.  
Sic corda, quando cæteris  
Cædem superbè detonant,  
Cæduntur, & casu suo  
Dei timorem prædicant.

Deo Patri sit gloria,  
Ejusque soli Filio  
Cum Spiritu, qui perpetim  
Mundum regit custodia. Amen.

*v.* Non est similis tui in Diis  
Domine.

*R.* Et non est secundum opera  
tua.

*Ad Benedictus Antiphona.*

Benedicimus Deum Cœli, & co-

ram omnibus viventibus confitebi-  
mur ei, quia fecit nobiscum mis-  
ericordiam suam.

**O R A T I O.**

**D**EUS, qui in summis Regni no-  
stri periculis, antiqua brachii  
tui miracula renovasti, suscipe gra-  
tiarum actiones exultantium popu-  
lorum: & quibus tanti gaudii cau-  
sam præstisti, perpetuæ fructum  
concede lætitiae. Per Dominum.

*Ad Tertiam Antiph.* Dextera tua.  
*Capitulum.* Benedictus Deus. ut  
supra in Laudibus.

*v.* Justi decantaverunt Domine  
Nomen Sanctum tuum.

*v.* Et victricem manum tuam  
laudaverunt pariter.

*Ad sextam Antiph:* Arcus fortium.

*Capitulum.*

**O**! quàm bonus, & suavis est,  
Domine, Spiritus tuus in omni-  
bus! Ideoque eos, qui exerrant par-  
tibus, corripis, & de quibus pec-  
cant, admones & alloqueris: ut re-  
licta malitia, credant in te, Do-  
mine.

*v.* Adorabant Sancti viventem in  
sæcula.

*v.* Et mittebant coronas suas ante  
Thronum Dei.

*Ad Nonam Antiph.* Ego autem.

*Capitulum.*

**T**U autem dominator virtutis cum  
tranquillitate judicas, & cum  
magna reverentia disponis nos: sub-  
est enim tibi, cùm volueris posse.

*v* Dignus

v. Dignus es Domine Deus noster.

R. Accipere gloriam, honorem, & virtutem.

*In secundis Vesperis, omnia ut in primis.*

### *Ad Magnificat Antiph:*

Domine Rex Omnipotens, in dilectione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit resistere voluntati tui, si decreveris salvare Israël.

## DIE XV. OCTOBRI.

*In Festo Sanctæ Hedwigis Viduæ. Duplex majus.*

*Omnia de Communi nec Virginum, nec Martyrum, præter ea, quæ sequuntur.*

### O R A T I O.

**D**EUS, gratiæ dator, & gloriæ, tuæ nobis propitius sinum pietatis aperi, & præsta, ut qui manentem civitatem hic non habemus, ad futuram, quam quærimus, B. Hedwigis interveniente suffragio perducamur. Per Dominum nostrum.

*In primo Noct. Lect. Mulierem fortem. de Comm. non Virginum.*

*In Secundo Nocturno.*

### LECTIO V.

**H**edwigis Bertholdi Marchionis Moraviæ, Comitis Tirolensis, & Agnetis Eilia, S. Elisabethæ manus

tertra, duodecimo anno Henrico Longobardo Principi Poloniæ & Bohemiæ in matrimonium data; illud semper honorabile, & immaculatum custodivit, nullum jejunium, aut diem festum judicans, quem castitatis merito non condidisset. Nil hilominus in summa castitate & continentia, facta est sicut vitis abundans in lateribus domus suæ, & filii ejus sicut novellæ in circuitu mensæ. Filios enim tres, totidemque filias viro suo protulit. Ex quibus Henricus fortia pro religione Christiana aggressus, & tanquam alter Judas Machabæus castra Dei contra Tartaros protegens, martyrii palmam promeruit. Filia Gertrudis Virgo perpetua permansit. Fructu matrimonii Hedwigis quæsito, redditisque novalium fructibus, feriari ab opere connubiali incipit: eadem marito persuadet. Fit spiritualis desponsatio in manu Pontificis, vivitur inter sponsos Angelica vita per annos viginti octo, non coram hominibus tantum, sed etiam coram Deo.

R. Propter veritatem.

### LECTIO VI.

**P**arat deinde Hedwigis sedem futuræ castitati; amplissimum Trebnicense monasterium extruit, Filiam Gertrudem prius illuc præmittit; magnos greges Virginum Sanctorum collegit: ipsa demum consequitur. In oratione diurna, atque nocturna, nudis, etiam media hieme, pedibus assidua: in ieiuniis multis per totos quadraginta

an-

annos perseveravit; ita, ut die Dominico, tertia, & quinta feria, piscibus & lactariis tantum, Sabatho & Feria secunda aridis leguminibus: quarto & sexto die, aqua & pane solo duntaxat vesceretur. Pedes pauperum, quos tredecim semper ubique secum circumduxit, lavit: ulcera eorum ligavit, captivos redemit, subditos oppressos tutata est. Irata à nemine unquam visa est, contenta ea objurgatione, Deus tibi parcat.

R. Dilexisti justitiam.

## LECTIO VII.

**N**on caruit diva Hedvigis miraculorum ac prophetiae spiritū & gratia: nam & duabus Sanctimonialibus visum restituit: & duos recentes suspensos magna omnium admiratione ad vitam revocavit. Mortis item mariti sui tempus, & rationem longè ante prædixit, & filii eodem modo; cujus cædem eo ipso, quo cæsus est, die in remotissimis partibus cognovit: & ipsa diem obitus multò prius præsensit & prædixit.

R. Fallax gratia.

## LECTIO VIII.

**J**Ta que priusquam morbō gravi correpta fuisset, sacram Unctionem accepit, Sanctimoniales se ægram sine permissione superiorum invisentes pepulit; nihil sanctum esse docens, quod cum obedientia majorum susceptum non esset. Priusquam moreretur, magna hilari-

tate Sanctos cum splendida luce ad se venientes salutavit. Mortua est, die S. Mathæi, hora vespertina, qua jejunia sua pane solo reficere solebat, anno salutis humanæ millesimō ducentesimō quadragesimō tertio. Ac post multis editis miraculis in numerum Sanctorum à Clemencie Quarto relata est. In cuius Canonizatione mulier cæca, visui restituta est.

R. Quam pulchra es.

In III. Noct: Homilia in Evang. Simile est Regnum Cœlorum thesauro. ut in Comm. non Virginum. Evang: ibidem. Oratio ut supra.

## DOMIN: II. OCTOBR:

In Festo B. Vincentii Kadlubek Ep: Conf: Duplex Majus.

Omnia de Communi Conf: Pontif: præter ea, quæ hic sequuntur.

## ORATIO.

**D**EUS, qui B. Vincentium Confessorem tuum, atque Pontificem, spretis sæculi pompis humilitatis gloria decorasti; præsta quæsumus: ut tantæ virtutis proficietes exemplum, ejus meritis cœlestis gloriæ consortes efficiamur. Per Dominum nostrum.

In primo Noct. Lectiones. Fidelis sermo, de Communi Conf: Pont:

In

In secundo Nocturno.

## LECTIO V.

**V**incentius Kadlubkovius Polonus natus est, ut antiqua acta ferunt, in Villa Karwow Dicecessis Cracoviensis, Palatinatus Sandomiriensis, ex vetustissima Rosarum Familia, Patre Bogumilo, Matre Benigna, sanguinis claritate, & pie-tate illustribus; à quibus in Fide Catholica, & in timore Domini sanctè educatus, plura edidit in ipsis teneris annis sanctitatis specimina, innocentia morum, iugi orandi stu-dio, humilitate, modestia, ac prompta erga suos Parentes obedientiâ. Adolescens factus, Philosophicis ac Theologicis studiis imbutus, cum literarum studio singularem pietatem semper copulans, otium, & pravorum consortia abhorrens, orationi addictus, Sacra menta frequentans, aliosque Christianæ pietatis actus fortí animo exercens.

¶. Juveni David.

## LECTIO VI.

**T**anta Sanctimoniam vitæ captus Fulco Episcopus Cracoviensis Vincentium inter suos cooptavit, ejusque opera usus est in regimine suæ Diœcesis, cùm præter eximiā vitæ integritatem acri etiam polleret ingenio, singularique prudētia: Sacerdotio initiatus, evenetus fuit ab eodem Episcopo ad Præposituram insignis Collegiatæ Sandomiriensis, in qua dignitate omnes sui muneris partes adeo sanctè

adimplevit, ut exemplar factus modello, castimoniæ, aliarumque virtutum, promeruerit designari à Lesco Albo Poloniæ Rege in Ora-torem, ut propriam Filiam Beatam Salomeam in Sponsam deduceret ad Regem Haliciæ. Defuncto interea eodem Fulcone Episcopo Cracoviensi, assumptus ille fuit ad eandem Sedem, electionem confirmante Innocentio III. Pontifice Maximo. ¶. Posui adjutorium.

## LECTIO VII.

**I**N Episcopatu exemplum se præbuit bonorum operum, & commisum sibi gregem pascens monitîs, consiliis, scientiâ, verbô & exemplô, ita insectatus est pravos populorum mores, ut collapsam pitatem in pristinum restituerit. Catholicae Fidei insignis Propagator, & Ecclesiasticæ jurisdictionis vin-dex acerimus. Eximia inclaruit prudentiâ, charitate, mansuetudine, & misericordia in pauperes. Ze-lus Domûs Dei ita illum come-derat, ut reparacioni & opportunis Ecclesiarum proventibus impensè consulens, nedum ex mensæ Episcopalis redditibus, sed & de ha-reditario patrimonio illas dotaverit. Eximum vero ejus religionis ar-gumentum fuit, dum insigne ero-gavit peculium, ut in Templo Ca-thehdralis Cracoviensis lampas ac-censa coram Altaris Sacramento per-petuo asservaretur.

¶. Iste est, qui ante Deum.

## LECTIO VIII.

**D**ecurrente verò decimo ejus Episcopatū anno, Evangelicæ perfectionis cupidus, in Religiosa casta secedere decrevit, ut Cœlestium rerum contemplationi, & rigidiiori vita instituto vacare posset. Hinc fortissimo animo præcibus & lacrymis devicta Capituli, & pupuli Cracoviensis contradictione, prævio benneplacito Pontificis Honorii III. omnia sua dispersit, ac dedit pauperibus, & insigniis Episcopalib[us] depositis, coram Collegio Canonorum Cracoviensium, nudis pedibus, proficisciens per decem leucas se contulit ad Coenobium Andrejoviense, in quo Monasticam vitam Ordinis Cisterciensis professus est; ibique regulari obseruantia, jejunii, & Cœlestium rerum contemplatione quinque jugiter annis omnibus præluxit, pluribus etiam supernaturalibus donis à Deo locupletatus. Plenus tandem dierum & operum pretiosam in conspectu Domini mortem obivit die octava Martii, Anno Millesimō ducentesimō vigesimō tertio, Famā sanctitatis & miraculorum clarus. Ecclesiasticum Ejus cultum ritè probatum confirmavit Clemens XIII. Pontifex Maximus, qui & has lectiones proprias ejus in honorem recitandas concessit.

R. Justum deduxit.

In III. Noct. Homilia in Evang.  
Homo peregre proficisciens. ut in  
Comm. Conf. Pontif.

## DIE XX. OCTOBRIS.

In Festo Translationis Sancti Adalberti Ep. & Mart: Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris, præter Hymnos proprios; Lectiones secundi Nocturni, quæ leguntur ut in Festo XXIII. Aprilis, fol: 24. Adalbertus Episcopus Pragensis. R. XI. & XII. Antiphona ad Magnificat & Benedictus propriæ, sine alleluia. Vesperæ à Capitulo de sequenti Festo, cum commemoratione præcedentis, & S. Hilarionis Abbatis.

## DIE XXI. OCTOBRIS.

In Festo S. Ursulae & Sociarum Martyrum. Duplex.

Omnia de Communi Virginum, præter ea, quæ sequuntur. In Vesperis & Laudibus Antiphona.

A. Prudentes Virgines, aptate vestras lampades: ecce Sponsus venit, exite obviam ei.

R. Adducentur Regi Virgines post eam.

R. Proximæ ejus afferentur tibi.

## ORATIO.

**D**omine, quæsumus, Domine Deus noster, Sanctarum Virginum & Martyrum tuarum Ursulae & Sociarum ejus, palmas incessibili devotione venerari: ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum nostrum.

Ad

*Ad Matutinum Hymnus.*

Virginis Proles, Opifexque Matris,  
Virgo, quem gessit, perperitque  
    Virgo.

    Virginis partos canimus decora  
        Morte triumphos.

Hæc enim palmæ duplicitis beata  
Sorte, dum gestit fragilem domare  
Corporis sexum, domuit cruentum  
    Cæde tyrannum.

Unde nec mortem, nec amica mortis  
Mille pœnarum genera expavescens,  
Sanguine effuso meruit serenum  
    Scandere Cœlum.

Hujus oratu Deus alme nobis  
Debitas pœnas scelerum remitte:  
Ut tibi puro resonemus alnum  
    Pectore carmen.

Sit decus Patri, genitæque Proli,  
Et tibi compar utriusque virtus,  
Spiritus semper Deus unus omni  
    Temporis ævo. A.

*In primo Nocturno Lectiones. De Virginibus. de Communi Virginum.*

*In secundo Nocturno.*

**LECTIO V.**

Ursula sanctitate, sapientia, &  
pulchritudine insignis, Filia unica  
Regis Britannæ Christianissimi  
fuit. Quam cum Rex Angliae  
gentilis, idemque potentissimus, Fi-  
lio suo, missis eò solemnib[us] nuntiis,  
Uxorem expeteret, ipsa divi-  
nitus præmonita persuasit Patri,  
ut consentiretea conditione, ut Rex  
ille & Pater decem primævæ xætatis  
virgines, & forma, & genere lec-

tissimas perquirerent, & tam sibi,  
quā singulis earum mille alias Vir-  
gines honestissimas consociarent;  
comparatisque ad numerum ipsarum  
undecim triremibus inducias tri-  
ennii sibi darent, ad dedicationem  
Virginitatis suæ; ipse vero juve-  
nis sacro renovatus lavacro in Fide  
Christi interim instrueretur.  
¶ Propter veritatem.

**LECTIO VI.**

Ex hoc condicto Virginibus, tri-  
remibus, Viris pro comitatu,  
& sumptibus, præter spem celerius  
comparatis, per triennium belli præ-  
ludia multis undique ad spectacu-  
lum confluentibus ab ipsis celebrata  
sunt. Tandem cum Ursula omnes  
Virgines socias suas ad Christum  
conversas, tam verbis, quā exemplis  
ad castitatis propositum eru-  
disset, sub unius diei noctisque ven-  
to prospero ad portum Galliæ Tila,  
& inde Coloniam delatæ sunt: &  
ex eo loco Angelica visione instru-  
ctæ, Basileam applicuerunt, reli-  
gatisque ibi triremibus, pedestri iti-  
nere Romam venientes, magno ap-  
plausu Cleri & populi exceptæ sunt.

¶ Dilexisti justitiam.

**LECTIO VII.**

Ubi cum per aliquot dies perlu-  
stratis diversis Sanctorum li-  
minibus, pervigiles in oratione Deo  
animas suas commendassent, pera-  
ctis votis, itinere, quo venerant,  
Coloniam sunt reversæ, ab Hunnis  
jam undique obsessam. Qui totam  
illam

Sanctam multitudinem, cui etiam Sponsus Eleutherius se junxerat, immaniter trucidarunt. Coloniam sanguine & sepultura eorum clarorem reddentes.

*R. Afferentur.*

### LECTIO VIII.

Post omnes verò candidissimi exercitūs Regina, dum Principi Hunnorū in matrimonium consentire nollet, ictu sagittæ transverbata, super nobilem comitum suarum acervum, velut coeleste margaritum, corruit.

*R. Prudentes Virgines.*

*In tertio Noct. Hom. in Evang: Simile erit Regnum Cœlorum decem Virginibus. ut in Comm: Virginum.*

### DIE XXIII. OCTOBRIS.

*In Festo S. Joannis à Capistrano Conf: Duplex.*

*Omnia de Comm: Conf: non Pontif. præter ea, quæ sequuntur.*

*In utrisque Vesp. Ad Magnificat & Benedictus Antiph. O zelator Fidei! persecutor Hæreticorum, lumen virtutum, exterminator Turcarum, Prædicator egregie, Doctor populorum, Joannes fidelissime Ordinis Minorum, esto nobis subadium è Regno Beatorum.*

### ORATIO.

*D*EUS, qui Ecclesiam tuam B. Joannis à Capistrano, meritis

& doctrinis mirabiliter sublimasti, & per eum de perfidis Tyrannis in virtute Ssmi Nominis JESU fideles tuos triumphare fecisti, præsta quæsumus, ut de inimicis nostris ejus intercessione prævalentes in terris, cum ipso præmiari mereamur in Cœlis. Per Dominum nostrum.

*In primo Nocturno Læctiones. Beatus Vir. ut in Comm. Conf: non Pontif: 2do loco.*

### LECTIO V.

Capistrani Marsorum Oppido, in Diocesi Sulmonensi, ortus est B. Joannes Annō Domini Millesimō trecentesimō octogesimō quinto. In Gymnasio Perusino Christianis & liberalibus disciplinis instructus, aliquando Rempublicam gessit, dum postea Dei monitu ad Sanctius ministerium vocatus, in eadem Civitate Ordinem Fratrum Minorum, qui à regulari observantia nuncupantur, ab se ferventissimis votis expetitum, quamvis repulsus, durisque experimentis probatus, maximè alacris amplexus est, anno etatis suæ vigesimō nonō. In divinis literis Magistro usus est Beato Confessore Bernardino Senensi, quem pro Sacratissimo Nominis JESU calumniis traductum coram Martino Papa V. in Basilica Beati Petri Principis Apostolorum strenue defendit, eumdemque ipse & B. Jacobus à Marchia per Nicolaum V. in Sacrorum Confessorum Canonem postea referendum curavit. Joannis doctrinæ, asperrimæ penitentiæ, & sanctitatis famâ in dies crescente, ad multas

tas v  
nos n  
script  
staura  
ableg  
R.  
  
C  
tricel  
scuit.  
los in  
tantes  
In te  
Forun  
gitant  
centia  
fici  
genii  
clesia  
& ali  
dixit.  
sato,  
lium  
renti  
Sol c  
orum  
drag  
profes  
in si  
nimos  
derico  
in G  
colao  
R.  
L  
J m  
pereg

tas variasque provincias Christianos mores, disciplinamque verbo & scriptis, quæ plurima edidit, instauraturus, à Romanis Pontificibus alegatur.

¶. Honestum fecit.

## LECTIO VI.

**C**ontra hæreticam pravitatem Generalis Inquisitor creatus, Fratricellorum Sectam feliciter compescuit. Reatinos & finitos populos inter se odiis, armisque certantes, eloquii suavitate composuit. In terris Romanæ Ecclesiæ circa Forum, Joanna secunda Regina flagitante, Judaici scenoris pravam licentiam evulsit. Martini V. Pontificis Maximi dormitionem, & Eugenii IV. (à quo pro magnis Ecclesiæ negotiis ad Insubres Siculos & alios mittitur) successionem prædixit. Aquileano Episcopatu recusato, munus prædicandi Evangelium obire non cessavit, inque Florentinorum Patrum Conventu velut Sol quidam fulsit. Romæ Judæorum Synagogæ Ministrum cum quadraginta sectatoribus ad veritatis professionem reduxit. Ut hæreticos in sinum Ecclesiæ, & Principum animos in concordiam redigeret, Friderico III. Imperatore postulante in Germaniæ partes à prædicto Nicolao V. mittitur.

¶. Amavit eum.

## LECTIO VII.

**J**N Germania, Bohemia, Sarmatia, & Pannonia, sexennali peregrinatione Hussitîs, Adamitîs,

Taboritîs, Hebræisque innumeris ad Christianam veritatem doctrinæ, sanctitatis, & miraculorum Cruce conversis, Dei gloriam mirificè auxit. Eցros quāplurimos sanavit, mortuos suscitavit, & mutis loquelam restituit. Denique totam Christianorum Rempublicam periclitantem ab immani Turcarum Tyranno defensurus, se pro Domo Isræl murum opponit, dum Callistus Papa III. Joanne potissimum deprecante, Christianorum militum signo Crucis illustrium, expeditionem in Turcas Europæ incumbentes decernit, statimque Joanne Pannoniam, Transilvaniam, Moldaviam, Valachiam instar fulguris pervolante, septuaginta millia Christianorum conscribuntur, Crucisque vexillum ipso præserente de centum & viginti milium hostium, toto Orbe mirante, victoria reportatur.

¶. Jste homo.

## LECTIO VIII.

**J**oannes his atque aliis præclarè gestis, ex corporis fatigatione lethali morbo contracto, Villacum Pannoniæ inferioris Oppidum in agro Sirmensi desertur. Ubi Sanctis Ecclesiæ Sacramentis maxima religione susceptis, Annô salutis Millesimô quadringentesimô quadragesimô sextô, decimô Calendas Novembribus piè in Domino obiit. Quem post obitum æque ac in vita multis miraculis clarum Benedictus XIII. Papa in Sanctorum numerum retulit.

¶. Desiderium animæ.

In

*In III. Noct. Homil. in Evang:  
Nolite timere pusillus grex. ut in  
Comm. Conf. non Pontif:  
Missa. Justus ut palma.*

## DOMIN: IV. OCTOBR:

*In Festo S. Joannis Cantii  
Confessoris. Duplex imæ  
Classis.*

*Omnia de Comm. Conf. non Pontif:  
præter ea, quæ sequuntur.*

### Ad I. Vespertas Hymnus.

**G**entis Polonæ gloria,  
Clerique Splendor nobilis,  
Decus Lycae, & Patriæ,  
Pater Joannes inclyte.  
Legem superni Numinis  
Doces Magister, & facis.  
Nil scire prodest: sedulo  
Legem nitamur exequi.

Apostolorum limina  
Pedes viator visitas;  
Ad Patriam, quam tendimus,  
Gressus viamque dirige.

Urbem petis Jerusalem,  
Signata Sacro Sanguine  
Christi colis vestigia,  
Signasque fusis fletibus.

Acerba Christi vulnera  
Hærete nostris cordibus!  
Ut cogitemus consequi  
Redemptionis pretium.

Te prona Mundi machina,  
Clemens adoret Trinitas,  
Et nos novi per gratiam,  
Novum canamus canticum.

## O R A T I O.

**D**a quæsumus Omnipotens & misericors Deus: ut Beati Joannis Confessoris tui exemplo in scientia Sanctorum proficiens, atque aliis misericordiam exhibentes, meritis ejus apud Te indulgentiam consequamur. Per Dominum nostrum.

*Deinde fit Commem: Dom. curr:*

### Ad Matutinum Hymnus.

**C**orpus domas jejuniis,  
Cædis cruento verbere:  
Ut castra pœnitentium  
Miles sequareis innocens.  
Sequamur, & nos sedulo  
Gressus Parentis optimi  
Sequamur, ut licentiam  
Carnis refrenet spiritus.  
Rigente bruma providum  
Præbes amictum pauperi,  
Sitim, famemque egentium  
Esca, potuque sublevas.

Amor petentis populi  
Gelu resolvat pectorum;  
Plorant egeni! provocent  
Stipem gementum lachrymæ.  
**O!** qui negasti nemini  
Opem roganti, patrium  
Regnum tuere, postulant  
Cives Poloni, & exteri.  
Sit laus Patri, sit Filio,  
Tibique Sancte Spiritus,  
Preces Joannis impetrant  
Beata nobis gaudia. Amen.

*In primo Nocturno Lectiones. Beatus Vir. de Comm. Confes: non Pontif: 2do loco.*

*In*

In secundo Nocturno.

## LECTIO V.

**I**OANNES in Oppido Kenty Cracoviensis Dioecesis, à quo Cantii cognomen duxit, Stanislao & Anna piis & honestis Parentibus natus, morum suavitate, innocentia, gravitate, ab ipsa infantia spem fecit maximæ virtutis. In Universitate Cracoviensi Philosophiæ ac Theologiæ primùm Auditor, tum per omnes Academiæ gradus ascendendo, Professor ac Doctor, sacra, quam annis multis tradidit, doctrinā mentes audientium non illustrabat modo, sed ad omnem pietatem inflammabat, simul docens scilicet, & faciens.

R. Honestum fecit.

## LECTIO VI.

**S**Acerdos factus nihil de literarum studio remittens, studium auxit Christianæ perfectionis. Utq; passim offendit Deum maximè dolebat: sic eum sibi & populo placare oblato quotidie, non sine multis lacrymis incruento Sacrificio, satagebat. Ilcusiensem Parochiam annis aliquot egregie administravit, sed animarum periculo commotus, postea dimisit, ac postulante Academia ad pristinum docendi Officium rediit.

R. Amavit eum.

## LECTIO VII.

**Q**uidquid temporis à studio surreterat: partim saluti proximorum, sacris præsertim Concio-

nibus curandæ, partim orationi dabat, in qua Cœlestibus quandoque visionibus & colloquiis dignatus fertur; Christi verò passione sic afficiebatur, ut in ea contemplanda totas interdum noctes duceret insomnes, ejusque causâ melius recolendæ, Hierosolymam peregrinatus sit: ubi & martyrii desiderio flagrans, Turcis ipsis Christum Crucifixum prædicare non dubitavit. Quater etiam ad Apostolorum lumen, pedes atque viariâ onustus sarcinâ, Romam venit; tum ut Sedium Apostolicam, cui maximè adictus suit, honoraret, tum ut sui (sic enim ajebat) Purgatorii pœnas, expositâ illic quotidie peccatorum veniâ, redimeret. Quo in itinere à latronibus olim spoliatus, & num quid haberet præterea interrogatus, cum negasset, aureos inde aliquot suo insultos pallio recordatus, fugientibus hos etiam clamans obtutit latronibus; qui Viri Sancti candorem simul & largitatem admirati, etiam ablatos ultrò reddidere. Alienæ famæ ne quis detraheret, descriptis, Beati Augustini exemplō, in pariete versiculis, se atque alios perpetuo voluit admonitos. Famelicos de suo etiam obsonio satiabat. Nudos autem non emptis modo, sed detractis sibi quoque vestibûs & calceis operiebat, demissō ipse interim usque ad terram palliō, ne domum nudipes redire videretur.

R. Iste homo.

O

LECTIO

**LECTIO VIII.**

**B**Revis illi somnus atque humi: vestis, quæ nuditatem, cibus, qui mortem duntaxat arceret. Virginalem pudicitiam, velut lilium inter spinas, asperò ciliciò, flagellis, atque jejuniis custodivit. Quin & per annos ante obitum triginta circiter & quinque ab esu carnium perpetò abstinuit. Tandem dierum juxta, ac meritorum plenus, cum vicinæ, quam præsensit, morti, se diu diligenterque præparasset: ne qua re amplius teneatur, si quid domi supererat, id omne pauperibus distribuit. Tum Ecclesiae Sacramentis ritè munitus, dissolvi jam cupiens, & esse cum Christo, pridiè Nativitatis ejus in Cœlum evolavit. Miraculùs antè, & post mortem clarus. Mortuus ad proximam Academiæ Ecclesiam Sanctæ Annæ delatus est, ibique honorificè sepultus. Auctaque indies populi veneratione ac frequentia, inter primarios Poloniæ, ac Lithuaniae Patronos religiosissimè colitur, novisque coruscans miraculùs à Clemente XIII. Pontifice Maximo. Decimo septimô Kalendas Augusti. Anno Millesimô septingentesimô sexagesimô septimô solemni ritu Sanctorum fastis adscriptus est.

**R.** Desiderium animæ.

*In III. Noct. Homilia in Evang.*  
Sint lumbi vestri præcincti. ut in  
Comm. Conf: non Pontif: imo loco.  
Lect: 12. de Dom. Missa propria.

*Ad Laudes Hymnus ut in I. Vesp.*

**Ad II. Vesperas Hymnus.**

**T**E deprecante, corporum Lues recedit, improbi Morbi fugantur, pristina Redeunt salutis munera. Phtisi febrique, & ulcere, Diram redactos ad necem, Sacratas morti victimas Ejus rapis è faucicu. Te deprecante tumido Merces abactæ flumine, Tractæ Dei potentia Sursum fluunt retrogradæ. Cum tanta possis sedibus, Cœli locatus! poscimus, Responde votis supplicum, Et invocatus subveni. O una semper Trinitas! O trina semper Unitas! Da Supplicante Cantio Æterna nobis præmia. Amen.

**DIE XII. NOVEMBRIS.**

*In Festo SS. Benedicti, Joannis, Mathæi, Isaaci, atque Christini Martyrum.*  
*Duplex 2dæ Classis.*

*Omnia de Communi plurimorum Martyrum, præter ea, quæ sequuntur,*

**ORATIO.**

**S**Anctorum nos, quæsumus Domine, Martyrum tuorum, Benedicti, Joannis, Mathæi, Isaaci, atque Christini gloriosa hodierna die trophyæ lætificant: quatenus eorum interventione, ad illam pervenia-

veniamus hæreditatem, in qua ii- bus, humi jacentes lapidem capi- dem felices Angelorum cætibus ag- tibus subjiciebant.  
gregati, tuæ semper Majestatis per- ry. Sancti tui.  
fruuntur ineffabili claritate. Per

Dominum.

*In primo Noct: Lectiones. Fra-  
tres debitores. de Comm: plurim:  
Martyrum.*

*In secundo Nocturno.*

## LECTIO V.

**B**enedictus, Joannes, Mathæus, Isaac & Christinus, Fratres Eremitæ Poloni, post Episcopi Adalberti, (cujus erant peregrinationis Comites) necem, à Prussis multis contumeliis divexati, & Prussiae finibus ejecti, in majorem Poloniā rediērunt. Et quo expeditius humana contemnerent, & Cœlestia spectarent, in vastam solitudinem apud Casimiriam se receperunt: ibique casis, quæ singulos caperent, stramento ædificatis, non extraneorum tantum, sed mutuam etiam consuetudinem fugiebant. Mirum Dei Viris inerat abstinentiæ studium, cum aliqui eorum semel duntaxat, alii, qui paulo tenuioris erant valetudinis, bis in hebdomada oleribūs, & aquâ, pane nonnunquam adhibito se reficerent. De qua austeritate victus toto vitæ suæ tempore, præterquam die Sacratissimo Paschæ, quoad vixerunt, nihil remittebant. Vestibūs, quas è Setis equorum sibi confecerant, contenti: Quies non stratîs mollieribūs accersita, sed si quid dandum fuerat fessis corpori-

bus, humi jacentes lapidem capi- tibus subjiciebant.

ry. Sancti tui.

## LECTIO VI.

**T**anta autem erat Sanctitatis eorum fama, ut Boleslaus Chrabrus pius & Sanctus, isque primus Polonorum Rex, præsens eos accederet, eorum orationibus se & suum Regnum commendaret, grandique pecuniâ oblatâ, liberaliter & regiè Santos donaret. Sed Beati Viri post aurum non abeuntes, nec ullam in pecuniæ thesauris repentes spem, ut qui pro Christi nomine renuissent omnibus, è vestigio argentum Regi ut referat Barnabas unus ex Sociis, constituant. Quod dum fit, ecce grassatores, qui cognoverant munificè à Rege donatos, primâ noctis vigiliâ adsunt, Sanctos Fratres in Dei laudibus opprimunt, extra casas protrahunt, gladios intentant. Ferenda vobis, quamcunque imposuerimus, fortuna est, nisi quidquid ubi cunque locorum argenti reconditum est, nostrum illico fuerit, minitantur. Quare aut pecuniam ultrò exponite, vel si moramini, vitam cum sanguine profundite. Sancti multis obtestationibûs Regi esse reportatam, confirmant; quin etiam tuguriola ut excutiantur, potestem dant.

ry. Verbera carnificum.

**LECTIO VII.**

**S**Æva auri cupiditas ubi nihil minis extorquet, reliquum spei tollendæ pecunia in verberibus & suppliciis reponit. Deligantur Sancti Fratres ad palum, ignibus ad latera admotis exuruntur: deinde circa rotarum vertiginem adstricti diutissimè verberantur: tota nox in crudelissima paupertatis Sanctorum, & innocentiae supplicia expenditur. Denique cum omnes jam artes potiundi argenti tentatae essent, nec successisset, ne quid inausum de concepta crudelitate relinqueretur, ab iisdem latronibus anno salutis humanæ millesimo quinto, pridie Iudis Novembbris in Dei laudibus constantissimè permanentes trucidantur.

¶. Tanquam aurum.

**LECTIO VIII.**

**B**oleslaus nece Sanctorum innocentia cognita, eandem gratiam, quam præbuerat vivis, servavit & mortuis: qui Beatorum Fratrum corpora honorificentissima sepultura Casimiræ in majori Polonia condidit. Barnabas superstes in Eremum reversus, vita fratrum suorum amulius, assiduus orationibus, vigiliis, jejuniiisque addictus, paulo post Sancto fine quievit: & ipse pii Regis mandato ad Fratres suos appositus, ut quibus in cœlesti Patria esset conjunctus, in terris eodem tumulo cum eis conditus quiesceret.

¶. Certamen magnum.

*In tertio Nocturno.*

*Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.*

**LECTIO IX.**

**I**N illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisia. Et reliqua.

*Homilia Venerab: Bedæ Presbyteri.*

*Libro 4. in Lucam Cap. 52.*

**D**E hoc fermento Apostolus præcipit: Itaque epulemur; non in sermone veteri, neque in sermone malitiæ & nequitæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Nam sicut modicum fermentum totam farinæ, cui injicitur, massam corrumpt, universamque mox consersionem suo sapore commaculat, sic nimirum simulatio, cuius semel animum imbuerit, tota virtutum sinceritate & veritate fraudabit. Est ergo sensus: Attendite, ne æmulemini simulatores, quia veniet profecto tempus, in quo & vestra virtus omnibus, & eorum reveletur hypocrisia.

R. Propter testamentum.

**LECTIO X.**

**V**Erum, quod sequitur: Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: non solum in futuro, quando cuncta cordia abscondita proferentur ad lucem, sed & in præsenti

senti  
cipi:  
quondam  
umbra  
postol  
Eccle  
blicè  
¶.  
NE  
Sanct  
haben  
agant  
sania  
bra  
proje  
poten  
vivifi  
¶.  
D  
tium  
bland  
muni  
vator  
risæo  
nificu  
quia  
rum  
simul  
passee  
nutiss  
quoli  
Deus  
ad  
non

senti tempore potest congruenter accipi: quoniam quæ inter tenebras quondam pressurarum, carcerumq; umbras vel locuti, vel passi sunt Apostoli, nunc clarificatæ per orbem Ecclesiæ, lectis eorum actibûs publicè prædicantur.

¶. Hæc est vera fraternitas.

## LECTIO XI.

**N**E terreamini ab his, qui occidunt corpus. Si persecutores Sanctorum occisis corporibûs non habent amplius, quid contra illos agant: ergo supervacua furunt insania, qui mortua Martyrum membra feris, avibusque discerpenda projiciunt: cùm nequaquam Omnipotentiæ DEI, quin ea resuscitando vivifiet, obsistere possint.

¶. Corpora Sanctorum.

## LECTIO XII.

**D**UO autem sunt genera persecutorum: unum palam sævientium, alterum fictè, fraudulenterq; blandientium. Contra utrumque nos munire, atque instruere volens Salvator, & supra ab hypocrisi Pharisæorum attendere, & hic à carnificum cæde præcepit non timere: quia videlicet post mortem nec horum crudelitas, nec illorum valet simulatio durare. Nonne quinque passeres veneunt dipondio? Si minutissima, inquit, animalia & quæ quolibet per æra feruntur volatilia, Deus obliisci non potest: vos, qui ad imaginem facti estis Creatoris, non debetis terreri ab his, qui oc-

cidunt corpus: quia qui irrationalia animalia gubernat, rationalia curare non desinit.

¶. Justorum animæ.

## Sequentia S. Evangelii secundum Lucam. C. 12.

**J**N illo tempore: Dixit JESUS Discipulis suis: Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Nihil autem opertum est, quod non reyeletur, neque absconditum, quod non sciatur. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædictabitur in tectis. Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius, quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timatis; timete eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere in gehennam. Itaque dico vobis, hunc timete. Nonne quinque passeræ veneunt dipondio? & unus ex illis non est in oblivione coram Deo: Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribûs pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei.

*Oratio. Sanctorum, nos quæsumus. ut supra.*

## DIE XIX. NOVENBRIS.

In Festo Sanctæ Elisabeth  
Viduæ. Duplex.

*Omnia de Communi nec Virginum,  
nec Martyrum, præter ea, quæ se-  
quuntur.*

## ORATIO.

**T**uorum corda fidelium Deus mi-  
serator illustra, & Beatæ Eli-  
sabeth precibüs gloriōsis, fac nos  
prospera mundi despicere, & cœ-  
lesti semper consolatione gaudere.  
Per Dominum nostrum.

*Commem. S. Pontiani Papæ & M.  
Antiph. Iste Sanctus.*

*¶ Gloria & honore.*

*Oratio. Infirmitatem de Communi  
unius Martyris.*

*In secundo Nocturno.*

## LECTIO V.

**E**lisabeth Andreæ Regis Hunga-  
riæ Filia, ab infantia Deum  
timere cœpit, & crescens ætate,  
crevit etiam devotione. Hæc po-  
stea Ludovico Langravio Turingiæ  
in conjugem copulata, etsi ea, quæ  
sui Viri erant, curaret, non minùs,  
quæ Dei sunt, sedula exequebatur.  
Nocturno namque tempore à la-  
tere Viri surgens, orationibüs, &  
genu flexionibüs occupabatur, sic-  
que dum esset Vir in accubitu suo,  
nardus ejus dabat sanctitatis odorem.  
Et licet exterius indueretur rega-  
libüs, ne terreni Viri oculos offend-

dere videretur, interius tamen sub  
cilicii tegmine cœlestem Sponsum  
gerebat absconditum. Diebus sin-  
gulīs pietatis officio dedita, viduis,  
pupillis, ægrotis, carcerum inclu-  
sis ergastulis, & egentibus singulis  
singularia subventionis remedia sub-  
ministrabat. Cujusdam etiam pau-  
peris, gravi capitib⁹ languore cor-  
repti, quasi filii curam gerens, ca-  
pillos ejus manu tondebat propria,  
caput frequenter in pomarii secre-  
to lavans, ut oculos fugeret ancil-  
larum. Cum Teutoniam gravis ur-  
geret inedia, captatā Viri absentia,  
domūs suæ frumenta egentibus cro-  
gavit.

*¶ Propter veritatem.*

## LECTIO VI.

**P**ostquam autem à lege Viri so-  
luta est, depositis gloriae sæ-  
cularis exuviis, Ordinem Pænitentia-  
rium Beati Francisci ingressa, vi-  
lis tunicae decore vestitur: ac di-  
vitiarum contempta jactantiā, &  
generositate Parentum, nobilissimis  
orta natalibüs, se mundo fecit igno-  
bilem, ut nobilitaretur in cœlis:  
pro corona suscipiens cinerem, &  
cilibicum pro fascia pectorali; pal-  
lebant ora jejunii, abstinentiæ te-  
nuitate confecta: & jam martyrem  
adhuc viventem caro præmortua te-  
stabatur. Dum autem die quadam  
defixis in Cœlum oculis contempla-  
tioni vacaret, ut quasi de humanae  
conversationis consortio videretur  
abstracta; Dei Filium dulcem JE-  
SUM ad se inclinatum Cœlis pa-  
tentibüs yidit, inter alia sibi con-  
sola-

solationis lenimenta dicentem: Si Papa Gregorius Nonus eam Sanctorum collegio annumeravit.

tu vis esse mecum, ego ero tecum,  
& à te nullatenus separabor.

R. Dilexisti justitiam.

## LECTIO VII.

Tunc sumptibus propriis nobile hospitale construxit, ampla possessione dotatum, suaque pretiosa monilia, & grandem pecuniae quantitatem eidem loco liberaliter est largita. In quo receptam multitudinem corporali visitabat obsequio, affluenter eis necessaria subministrans, pedes eorum, & capita incredibili humanitate lavando, & leprosorum ulceræ etiam aspectu horribilia capitis sui velo mundando. Deinde propinquorum destituta suffragio, Castris & possessionibus cæteris spoliatur. Sed ipsa miserationis solita non oblita, lanam manib[us] operabatur & linum, de sui laboris impendio nudos pauperum humeros vestitura.

## LECTIO VIII.

Cumque in his ac plurimis aliis Sanctis operibus usque ad finem vitæ perseverasset, domesticis suis prædicens obitum suum, Deo Spiritum reddidit Annô Domini millesimo ducentesimo trigesimo primô, tertio decimo Kalendas Decembris. Sacrum autem Corpus ipsius post Sanctæ Animæ separationem, statim cœpit plurimis & maximis coruscare miraculis. Quibus auditis, & certa fide compertis Dominus

R. Quam pulchra es.

*In III. Noct. Homilia in Evang.*  
Simile est Regnum Cœlorum thesauro abscondito. ut in Communi non Virginum.

XII. Lectio de S. Pontiano Papa & Martyre, & in Laud: Commem: ejusdem.

## DOMINICA PROXIMA

Post diem 13. Novembr: vel ipsa die.

*In Festo S. Stanislai Kostka Confessoris. Duplex Imæ Classis.*

*Omnia de Communi Conf: non Pontif: præter ea, quæ sequuntur.*

## ORATIO.

DEUS, qui inter cætera sapientiæ tuæ miracula, etiam in tenera ætate maturæ sanctitatis gratiam contulisti: da quæsumus, ut Beati Stanislai exemplò tempus instanter operando redimentes, in æternam ingredi requiem festinemus. Per Dominum nostrum.

*In primo Nocturno Lectiones. Beatus Vir. de Comm: Conf: non Pontif: 2do loco.*

*In secundo Nocturno.*

## LECTIO V.

STANISLAUS Senatoria Kostkarum Gente ortus in Polonia, quam olim

olim esset militiam securus, Nomen Jesu prænuntiavit, parituræ Matris gremio divinitùs inscriptum. Virginitatem adhuc puer ita coluit, ut paterna in mensa, si quid minus pudicè dictum audivisset, præ horrore exanimis corrueret. Ad Vienensem in Austria Seminarium studiorum catissimè missus, non minus exemplo Sodalibus, quam venerationi fuit. Coactus inde in Lutherani Hospitis Ædes migrare, ibique à Paulo Fratre ad liberiorem vitam omni etiam asperitatum genere incitatus, domesticum bellum totò bienniò constantissimè sustinuit, ad æterna se non caduca natum affirmans. Itaque unicum illi erat rerum Cœlestium desiderium, perpetua cum Deo consuetudo, cultus Deiparæ adeo tener, ut Matrem suavissimè appellaret.

R. Honestum fecit.

## LECTIO VI.

**Q**Uotidianæ Fratris vexationi crebra ipse jejunia, flagella, aliquosque insontis corpusculi cruciatus adjiciens, lethalem in morbum incidit. Quo ingravescente cùm dæmonem horrendi canis specie insipientem signo Crucis ter fugasset, Sacrum Viaticum, quod in hæretica domo decumbens frustra ab hominibus petebat, ab Angelis accepit. Mox ad pueri Jesu complexum à Beatissima Ejus Matre comiter admissus, ac Societati jussus Nomen dare, subito convaluit. Sed cùm aditum ad illam Patris timor in Germania præcluderet, peregrini

habitu solus pedes mendicus fugam arripit, certus non sistere, nisi voti compos fiat. Iter non uno Dei beneficio prosperum fuit, nam præter alia, Pauli profugum Fratrem jam assequentis equi immisso divinitus torpore constiterunt. Et Stanislaus Angelorum Pane iterum Angelico ministerio refectus; post duodecies centena passuum millia tandem Romæ in Societatem JESU à S. Francisco Borgia Generali Præposito cooptari meruit.

R. Amavit eum.

## LECTIO VII.

**T**Yronis emeriti virtutes in religiosæ vitæ Palestra splendidiùs eluxere, charitas præsertim erga Deum, in quem assidue alienata à sensibus mente rapiebatur. Inde illi facies semper accensa, non nunquam irradians, perennes lacrymæ, ardor pectoris tantus, ut media quoque hyeme foret ingesta identidem gelida temperandus.

R. Iste homo.

## LECTIO VIII.

**I**Taque amore verius quam febri æstuans, die assumptæ in Cœlum Virgini sacro, ad ejus triumphalem pompam proprius, ut optaverat, spectandam, ab ipsa Beatarum Virginum choro stipata vocatus est ex quirinali Domo probationis, anno innocentis vitæ decimo octayō, operum plenior, quam dierum. Multis post obitum miraculis, in sua præsertim Polonia, eniuit, cuius armis contra

cuntra  
citus s  
semel  
lias in  
Cleme  
totius i  
nedict  
mente  
cretum  
retulit  
R.  
In  
Sint lu  
Couf:  
DII  
In F  
Omnia  
præter  
quente  
1748.

Inter  
atæ  
tuæ al  
gat,  
riosiss  
Sangu  
sti Sa  
nostris  
puram  
reamu  
gnat.  
In I.  
rente.

cuntra formidabiles Turcarum exercitus spectabilis è Cœlo affuit non semel, & Civitates alias peste, alias incendiō liberavit. Quamobrem Clemens X. eum inter Primarios totius Regni Patronos constituit. Benedictus vero XII. (quod à Clemente XI. jam pridem fuerat decretum) in Sanctorum numerum retulit.

R. Desiderium animæ.

*In III. Noct. Hom. in Evang. Sint lumbi vestri præcincti. de Com: Conf: non Pontif:*

## DIE IV. DECEMBRIS.

*In Festo S. Barbaræ Virg: & Mart: Duplex.*

*Omnia de Com: Virg: & Mart: præter Orationem & Lectiones sequentes à Benedicto XIV. die 7. 9bris 1748. & à S. R. C. die 18. Augusti approbatas.*

## ORATIO.

**I**ntercessio, quæsumus Domine, Beatae Barbaræ Virginis & Martyris tuz ab omni nos adversitate protegat, ut per ejus interventum gloriissimum Sacrosancti Corporis & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi Sacramentum ante diem exitus nostri, per veram penitentiam, & puram confessionem, percipere mereamur. Qui tecum vivit & regnat.

*In I. Noct. Lect. de Scriptura occurrente.*

*In secundo Nocturno.*

## LECTIO V.

**B**Arbara Virgo Nicomediensis Dioscori nobilis, sed superstitionis hominis filia, per ea, quæ visibilia facta sunt, ad invisibilia, divinâ opitulante gratiâ, facile pervenit. Quapropter soli Deo, rebusque divinis vacare cœpit. Eam Pater, utpote forma venustiore nitentem, à quoque Virorum occurso tutari cupiens, turri inclusit, ubi pia Virgo meditationibus & precibus addicta, soli Deo, quem sibi in Sponsum delegerat, placere studebat. Oblata à Patre plures Nobilium connubia fortiter sprevit; Pater vero per sui absentiam filiæ animum posse facilius emolliri confidens, jussit primo balneum extrui, ne quid ei deesset ad commoditatem: deinde peregre in exteriores regiones profectus est.

R. Propter veritatem.

## LECTIO VI.

**A**bsente Patre, jussit Barbara dubius fenestræ, quæ in turri erant, tertiam addi in honorem Divinæ Trinitatis, labiumque balnei Sacrosanctæ Crucis signo muniri, quod ubi rediens Dioscorus inspexit, auditæ novitatis causâ adeo infiliam excanduit, ut stricto ense eam appetens, parum abfuerit, quin eam dire confoderet, sed præsto adfuit Deus fugienti Barbaræ saxum ingens se patefaciens, viam aperuit, per quam montis fastigium petere

petere , & in specu latere potuit ; sed paulo post , cùm à nequissimo genitore reperta fuisset , ejus latera pedibüs , dorsumque pugnâs immanniter percussit , & crinibüs per loca aspera , difficilesque vias raptatam Marciano præsidi puniendam tradidit.

*R. Dilexisti justitiam.*

### LECTIO VII.

**I**Taque ab ipso omnibus modis , sed in cassum , tentatam , nudam nervis cædi , & inflictâ vulnera testulis confricari , deinde in carcere rem trahi præcepit ; ubi immensa luce circumdatus ei Christus apparens , mirifice confortatam in passionum tolerantiâ confirmavit ; quod advertens Juliana Matrona ad fidem conversa , eisdem palmæ particeps effecta est.

*R. Prudentes Virgines.*

### LECTIO VIII.

**B**Arbaræ demum ferreis unguibüs membra laniantur , facibüs latera incenduntur , & malleolis caput contunditur ; quibus in cruciatis consortem consolabatur & horتابatur , ut ad finem usque constanter certaret. Præcisâ tandem utrisque uberibüs , nudæ per loca publica tractæ , capite plectuntur. Filiaque cervicem ipse scelestissimus Pater , humanitatis expers , propriis amputavit manibüs ; cuius fera crudelitas non diu inulta remansit , nam statim eo ipso in loco fulmine percussus interiit.

*R. Afferentur Regi.*

*In III. Noct. Homilia in Evange*  
Simile est Regnum Cœlorum decem Virgiaibus. ut in Communi Virginum.

### DIE IX. DECEMBRIS.

*In Festo B. Salomeæ Virginis , Ordinis S. Clare.*

*Duplex.*

*Omnia de Comm. Virg. præter sequentia.*

### ORATIO.

**D**EUS , qui in Beata Salomea terreni Regni contemptum cum Virginitatis candore in connubio sociasti , concede nobis quæsumus , ut ejus exemplo tibi casto & humili corde servientes , immarcesibilem coronam gloriae in Cœlis consequi mureamur. Per Dominum nostrum.

*In secundo Nocturno.*

### LECTIO V.

**S**Alomea Regio sanguine Cracoviæ orta , Lesci quinti Poloniæ Principis , & Grimislavæ Ducissæ Russiæ Filia , Boleslai Pudici Beatæ Cunegundæ Virginis Sponsi Soror , ab ipsa infantia singularibüs à Deo naturæ , & gratiæ ornata donis , admiranda futuræ sanctitatis præmonstravit indicia. Extunc enim eluxit in ea optima indoles , & juncta morum suavitati maturitas , pietas vero supra ætatem addicta , adhuc puellula virginitatem suam

Deo

Deo  
Parent  
qui Pr  
silio a  
sidia , p  
Regis  
gariam  
Hunga  
vit ibi  
dies h  
profici  
gitima  
Sponsa  
(ut co  
perpet  
integr  
colloq  
jejunii  
muniv  
R.

C  
s.  
regali  
gens fa  
splend  
trone  
iis de  
qua v  
erat.  
platio  
aliqua  
major  
ptum  
R.

L  
  
S P O

Deo statuerat consecrandam. Sed regias opes in excitandis Fratrum Minorum, Clarissarum ve Monasteriis, ac pauperum sublevandis inopiis insumpsit, & altioris perfectionis succensa desiderio, mundo nuntium remisit, ac S. Claræ Institutum in Zavichostensi professa est Monasterio. Jnde ob Tartarorum incursiones, ad aliud solitario in loco extrectum Cœnobium, quod Sanctæ Mariæ de Scala appellatur, unâ cum Monialibus se contulit. Utrobique autem Abbatissæ munere functa, in exacta religiosarum legum custodia, mortificationis & patientiæ studio se exercens, alumnis suis omnium virtutum exemplar facta est & Magistra.

R. Prudentes Virgines.

R. Propter veritatem.

## LECTIO VI.

**C**olomano Haliciæ sceptro in Russia potito, Salomea etiam in regali solio Christo humiliter satagens famulari, sæculi fastum exosa, splendidiorem, quo pro status sui ratione utebatur, ornatum depositus, iis deinceps contenta indumentis, quæ viduis duntaxat gestare moris erat. Integras sæpe noctes contemplationi intenta traduxit, inter quam aliquando cœlitus emissâ voce, ad majorem terrenarum rerum contemptum roborari promeruit.

R. Dilexisti justitiam.

## LECTIO VII.

**S**PONSÖ denique è vivis sublatō, Cracoviam revertitur, ubi &

## LECTIO VIII.

**C**ompletis autem viginti octo Monasticæ vitæ annis, dum inter Missarum solemnia Evangelii lectioni, quæ à teneris annis delectabatur, attenderet, extremo morbō corripitur, statimque mortem intra octiduum sibi imminere propheticō Spiritu prænuntiavit, qua instante, Sodales suas ad mutuæ pacis, charitatis, & castitatis amorem cohortata; Cœlesti denique Deiparæ cum puerō Jesu sibi apparente recreata visione, ad immaculati Sponsi Nuptias feliciter evolavit, die decima septima Novembris, Anno salutis Ducentesimō sexagesimō octavō supra Millesimum, ætatis suæ Sexagesimō septimō. Animam ejus sub specie lucidissimi sideris ex ore prodeuntem se conspexisse adstantes

tes Sorores memoriæ prodiderunt. Angelorum etiam concentus eadem hora auditæ sunt. Percrebrescente autem ejus sanctitatis & miraculorum famâ, corpus septimô ab obitu Mense elevatum, & miro fragrans odore, purissimoque liquore circumfusum, quo ægri peruncti statim sanati sunt, repertum, ad Cracoviensem S. Francisci Fratrum Minorum Ecclesiam (ut vivens optaverat) solemniter translatum; conflu-

entes undique populi venerantur; cultum hunc quatuor sæculorum cursu jugiter auctum ritèque recognitum Clemens Papa X. approbavit, diemque obitûs ipsius Ecclesiastico Officio celebrandum indulxit.

*P. Afferentur Regi.*

*In III. Noct. Hom. in Evang.*  
Simile est Regnum Cœlorum decem Virginibus. *ut in Comm. Virg.*

# COMMEMORATIONES SANCTORUM REGNI POLONIAE PATRONORUM.

## DE SS. BENEDICTO ET ROMUALDO.

*Ad Vesp. & Laudes Antiph:*

Jsti sunt duæ Olivæ & duo Candelabra Iucentia ante Dominum.

*P. Justi autem in perpetuum vi-*  
*vent.*

*P. Et apud Dominum est merces*  
*eorum.*

## ORATIO.

Fac nos, quæsumus Domine, Bea-  
torum Patrum nostrorum Bene-

dicti & Romualdi hic imitari la-  
bores, ut eorum gloriæ participes  
esse mereamur in Cœlis.

## DE S. ADALBERTO Ep. Martyre.

*Ad Laudes Antiphona.*

Sacerdos Dei Adalberte, Martyr  
& Pontifex gloriose, intercede ad  
Dominum pro devotis famulis.

*Ad Vesperas Antiphona.*

Per merita S. Adalberti Christe  
nos exaudi, atque ejus precibus no-  
bis succurre miseris.

*P. Po-*

¶. Posuisti Domine super caput  
eius.  
¶. Coronam de lapide pretioso.

### O R A T I O .

**T**UAM nobis indulgentiam, quæsumus Domine, Beatus Adalbertus Episcopus & Martyr imploret, ut & delicta nobis clementer ignoscas, & beneficia desiderata concedas.

### DE S. STANISLAO Ep. & Martyre.

*Ad Laudes Antiphona.*

Martyr Dei Stanislaus gloriosus Pontifex; quem occidit Boleslaus truculentus Princeps, Pastor Bonus & Patronus adsit nobis Opifex & virtutum Artifex.

*Ad Vespertas Antiphona.*

Vir inclyte Stanislae vitâ, signis, passione, plebem tuam Pastor bone, fove benedictione, salva sancta intercessione.

¶. Magna est gloria ejus in salutari tuo.

¶. Gloriam & magnum decorum impones super eum.

### O R A T I O .

**D**EUS, pro cuius honore gloriōsus Pontifex Stanislaus gladiis impiorum occubuit, præsta quæsumus, ut omnes, qui ejus implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum.

### IN EREMO SS. 5. Mart:

*Ad Laudes & Vesp: Antiph:*

Gaudent in Cœlis Animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti, & quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exultant sine fine.

*Vel alia Ant: si impediatur hæc.*

¶. Exultate justi in Domino.

¶. Rectos decet collaudatio.

### O R A T I O .

**S**ANCTORUM nos quæsumus Domine Martyrum tuorum, Benedicti, Joannis, Mathæi, Iсаaci, atque Christini gloriosa hodierna die trophaea lætificant, quatenus eorum interventione ad istam perveniamus hæreditatem, in qua iidem felices Angelorum Cætibus aggregati, tux semper Majestatis perfruuntur inefabili claritate.

### DE S. CASIMIRO Conf:

*Ad Laudes Antiphona.*

Euge Serve bone & Fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, super multa te contituam, intra in gaudium Domini tui.

*Ad Vespertas Antiphona.*

Similiabo eum Viro Sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.

¶. Justus germinabit sicut lilium.

¶. Et florebit in æternum ante Dominum.

ORA -

## O R A T I O.

D E U S , qui inter regales delicias  
& Mundi illecebras Sanctum  
Casimirum virtute constantiae robo-

rasti: quæsumus, ut ejus interces-  
sione fideles Tui terrena despiciant,  
& ad Cœlestia semper aspirent.

## F O R M U L A.

*Benedicendi Coronas Brigittanas, sive Rosaria.*

¶. Adjutorium nostrum in no-  
mine Domini.

¶. Qui fecit Cœlum & terram.

## P S A L M U S X X V I I I .

A fferite Domino filii Dei, afferite  
Domino filios arietum.

Afferte Domino gloriam & hono-  
rem, afferte Domino gloriam nomi-  
ni ejus.

Adorate Dominum in atrio san-  
cto ejus. Vox Domini super aquas  
multas, Deus Majestatis intonuit,  
Dominus super aquas multas.

Vox Domini in virtute, vox  
Domini in magni fidentia, vox Do-  
mini confringentis Cedros, & con-  
fringet Dominus Cedros Libani.

Et comminuet eas tanquam vi-  
tulum Libani, & dilectus quemad-  
modum filius unicornium.

Vox Domini intercidens flam-  
mam ignis: vox Domini concutientis  
desertum, & commovebit Do-  
minus desertum Cades.

Vox Domini præparantis cervos,  
& revelabit condensa, & in templo  
ejus omnes dicent gloriam.

Dominus diluvium inhabitare fa-  
cit, & sedebit Dominus Rex in æ-  
ternum.

Dominus virtutem populo suo da-  
bit, Dominus benedicit populo suo  
in pace.

Gloria Patri &c. Sicut erat &c.  
Kyrie eleyson. Christe eleyson.

Kyrie eleyson. Pater noster &c.  
Salvos fac servos tuos.  
Deus meus sperantes in te.  
Convertere Domine usquequo.  
Et deprecabilis esto super servos  
tuos.

Mitte eis Domine auxilium de  
Sancto.

Et de Sion tuere eos.  
Domine exaudi orationem meam.  
Et clamor meus ad te veniat.  
Dominus vobiscum.  
Et cum Spiritu tuo.

## O R E M U S .

D O m i n e S a n c t e P a t r e O m n i p o t e n s  
Æterne Deus, benedic, + san-  
ctifica preciunculos istos in hono-  
rem Sanctissimæ Brigittæ, sine si-  
gnaculo benedictione Sancta, sicut  
benedixisti Abraham, Jsaac, & Ja-  
cob, & omnes, qui in illis lege-  
rint Te, atque B. V. Mariam, Do-  
mini Nostri JESU Christi Matrem  
gloriosam salutayerint, benedictio-  
nem,

terces  
cient,  
nt.

nem, gratias & indulgentias mihi  
ab Apostolica Sede, & omnibus le-  
gentibus concessas adipisci mere-  
antur.

Benedictio ✠ Dei Patris Omnipotens, & ✠ Filii, & ✠ Spiritus Sancti descendat super hos preciunculos, & legentes, & maneat semper. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

*Aqua benedicta aspergantur.*

### FORMULA.

*Benedicendi Coronas Salvatoris Domini Nostri JESU Christi.*

*Sacerdos amictus stolâ, dicat.*

Adjutorium nostrum in Nomine Domini.

Qui fecit Cœlum & terram.

Benedices Coronæ anni benignitatis tuæ.

Et campi tui replebuntur ubertate.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum.  
Et cum Spiritu tuo.

### OREMUS.

DEUS, qui Redemptorem populo tuo Angelo annuntiante per Unigeniti tui Filii Incarnationem misisti, eumque triginta tribus annis servilem formam gerendo, ac tandem in Cruce moriendo, humani generis salutem operari sanxisti, per quem postmodum B. Michæli Eremitæ Camaldulensi tot in memoriam annorum illius Orationes Dominicas recitare, & Tibi beneplacitum esse innotuisti, dignare Domine has Coronas annorum benignitatis tuæ benedicere ✠, & sanctificare ✠, ut Famuli tui Fideles, qui eas piè gestaverint, & devote recitaverint, indulgentias, & gratias perpetuas per Summos Vicarios concessas, plenè consequi mereantur. Per Eundem Dominum nostrum &c.

*Deinde aqua benedicta aspergat.*

*In omnibus glorificetur DEUS.*

